F981

Stadt
Bücherei

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACENSIS,

uiri doctissimi, de bello Turcis inferendo, Oratio.

EIVSDEM ARGVMENTI,

OTHONIS BRVNFELSII ad Christianos Principes Oratio.

IACOBI FONTANI de Rhodi expugnatione Epistola.

PETRI NANNII Alcmariani Declamatio.

LODOVICI VIVIS de uita Christianorum sub Turca opusculum.

BASILEAE

M. D. XXXVIII.

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA
516
Stadt Bücherei Elbing
Biblioteka Uniwersytecka [illegible] w Toruniu
Ob. 6. II. 3342

IACOBI SADOLETI DE BELLO SVSCIPIENDO CONTRA Turcas ad Ludouicum Christianissimum Galliarum Regem,

ORATIO.

SIQVIS antea fuit, LVDOVICE Rex, qui maximis nationibus præpositus, & in hanc celsam honoris sedē subla tus, fortunę locū illum, singulari hominū beniuolentia, & summa uirtutis existimatione tueretur, eum te esse arbitror hoc tempore, in quem ita omnium bonorū studia incubuerint, ut cum multa ex rebus domi, & militiæ gestis, cum animi tui, tum cōsilij documenta ceperimus: quibus ad incredibilem erga te amorem conflagrauimus, arduum admodum sit cōstituere: Vtrum ornatio

ribus iudicijs magnitudinem tuã, an uo-
tis amãtioribus ſalutẽ proſequamur. Sed
quo propenſior noſtra eiuſmodi uolun-
tas ſit, illa etiam ratio in cauſa eſt: quod
eandem hanc uirtutem, quam egregiam
in te & præſtabilẽ eſſe cognoſcimus, cõ-
muni quoque Reipu. & Chriſtianæ reli
gioni imprimis ſperamus fore ſalutarem.
Quantum enim longo iam interuallo,
partim crudeliſſimorum hoſtiũ iniurijs,
Turcarumq; contumelijs: partim teme-
ritate & negligentia ſuperiorem Princi-
pum, amiſit fides noſtra, tum auctori-
tatis, tum dignitatis, tãtum uideris tu bre
ui tempore referre Reip. poſſe: Si quan-
tum in te poteſtatis fortuna eſſe uoluit, tã
tum tu ſtudij impendere in communem
ſalutem inſtitueris. Ac nos quidem cum
bellicorũ operum tuorũ monumẽta in-
tuemur, plane intelligimus, nõ aliũde po
tuiſſe illa, niſi ab optimo cõſilio et animo
maximo proficiſci, quia enim rerũ gerẽ-
darũ origo ab interioribus fontibus pru-

dentiæ

dentiæ deducta est, iccirco necesse est, ut quid egregiè gestum sit, antea fuerit pręclarè cogitatum: cum uero animi tui pręstātiam & magnitudinem tenemus, certam in spem ducimur, tanto maiore laude tuendę religionis tibi proposita, quanto illustrius est publicæ utilitati consulere magnum Regem, quàm priuatæ, te non minora de hinc tuæ pietatis pignora Reip. daturum, quàm antehac dederis fortitudinis. Neq; huic nostræ opinioni atque sententiæ humana tantum consilia adstipulantur, sed multo magis diuino numine erecti & confirmati sumus. Quis enim animum referens ad ea bella quæ gessisti, uictoriasq; quas es adeptus, tuamq; in illis, non solum administrandis uim animi atq; fiduciam: sed etiam in conficiendis celeritatē cogitans, non intelligat Deorum immortaliū nutu ac uoluntate, ad functionem pulcherrimi operis, te & uocatum, & instructum esse, ut sis sanctæ christianæ religionis speratus

tus ille, diuq́ exoptatus uotis omnium,
cum auctor resurgentis, tum ultor uiola-
tæ atq; punitor: cum illi omnibus cœle-
stibus beneficijs in te conferendis, non so
lum te ornasse ad tuam laudem decoran
dam: sed etiam armasse ad suam religio-
nem defendendam iudicio ac liberalita-
te sua uideantur. Quod si in hominum
uita atq; uictu: & in ea societate cōmuni,
quæ cognationis quasi uinculis quibus-
dam, & naturali ipso iure continetur, ij
præcipuè existimantur officij retinentes
homines: omniumq́; beniuolētia digni,
qui accepti beneficij memores, quā pos-
sunt auctoribus suorum commodorum
alacri animo gratiam persoluunt: Quan
to tandem te studio, quāta alacritate de-
cet summi ac præpotentis Dei & benefi
cia agnoscere propter prudētiam, & gra
tiam referre meritis propter pietatē: præ-
sertim cum quid ille abs te repetat, quo-
que operā tuā, flagitet, propè uoce teste
tur, clara enim hæc est Dei immortalis
uox

uox et oratio: suos à te hostes se uinci uelle & deprimi, cum tuos tibi ut superares concesserit: nec est ulla insignior appellatio pietatis atque officij, quàm declarare beneficio cuiusmodi reposcas gratiā. Quāobrem ille Regum Dominus constitutorque Principum Deus: cuius benignitatē & tu sensisti, & cęteri per te expectant, cum suo quodam diuino occultoque iudicio, quò nos cogitatione aspirare nō possumus, tibi amplissimos fines: tibi innumerabiles populos, tibi regna, tibi laudē, uictoriā, triumphūque cōtulit, nō tibi profecto soli ista detulit, sed etiā reip. nec uno in homine finem beneficiorū suorū constituit, sed per unum hominē statuit ubertatem cœlestis beneficentiæ in uniuersos homines infundi oportere. Ergo & hæc tibi Ludouice pro maiestate & amplitudine tua Christianæ fidei suscipiēda propugnatio est: & illud enixè contendendum, ut in maximis rebus aggrediendis ac perficiendis, dignus & salutis homi-

num auctor, & diuinæ liberalitatis mini
ster esse uideare. Nobis porrò qui tot iã
annis in summa desperatione omniũ re=
rum ita iacuimus, ut offusa nostris men=
tibus sempiterna nox uideretur, hæc pri
mùm è cœlo spes bonæ salutis illuxit, q̃
ijdem dij immortales in te nobis propo=
sitam esse uoluerũt, ob quam erecti atq;
excitati, te melioris fortunæ, quasi signũ
extollẽte, nosmetipsos, res, rationesq; no
stras, omnemq; spem incolumitatis ac sa
lutis, in tua unius uirtute fiximus ac loca
uimus. Tantam enim animi magnitudi
nem, tam insignem admirabilemq; pru=
dentiã, tantos ac tam prosperos fortunę,
& inauditæ felicitatis cursus, certe ad uti
litatẽ publicã incitatos esse arbitramur:
nec persuadere nobis possumus, nec ali=
ter sentire atque existimare, cum in rebus
inchoandis tãtam laudem assecutus sis,
quantam omnes gentes cõmemorando
celebrare nõ desinũt, te, ad ea quæ restãt,
longe maiora ac uberiora, non eandem
tuam

tuam illam uim uirtutis & ſapientiæ eſſe conuerſurum. Atque hæc noſtra cupiditas & expectatio, ut tibi opes tuas, cum fortunæ, tum conſilij atq; auctoritatis in ſalutem Reip. collocare libeat, & ſi plurimum noſtris rationibus accommodata eſt, qbus optabile eſt, diuq; uotis ac precibus efflagitatum, aliquando tandem à continuis periculis detrimentisq; cõquieſcere: tamen non minus perſpicua habet in ſeſe teſtimonia communis in te amoris, & iudicij, q; deſideria ſalutis. Quid enim aliud eſt optãdo deligere ex omnibus unum, à quo te uel ornari uel conſeruari cupias, quàm illius quem deligas & gloriæ fauere, & de uirtute præclare exiſtimare? Atqui hæc ſententia omnium ac uoluntas ſi tibi honorofica eſt, pertinetq; ad laudem tuam, teq; in excelſiſſimo loco auctoritatis atque exiſtimationis communi opinione ſtatuit: eſt profecto et tuæ humanitatis, hominũ ſtudioſiſſimorum,

tuiq; amantissimorũ salutẽ conseruandã
suscipere, et summę uirtutis præstantisq;
sapiẽtiæ iudicia omniũ gentiũ, quę maxi
ma de te ornatissimaq; sunt facta, Turcis
frangẽdis atq; à ceruicibus Reip. summo
uẽdis, sanctissimoq; bello pro cõmuni re
ligione suscipiẽdo cõprobare: ut illi qui
te ad tantam laudem flagitant, nec repu=
diati in beniuolentia, nec decepti in iudi
cio esse uideantur. Quanquam quidem
huius de te opinionis non nos soli parti=
cipes sumus: nec proprium nostrum est
hoc iudiciũ, sed nobis cum ipsis hostibus
cõmune, non enim minus uere & graui
ter illi de te iudicant, q̃ nos iudicemus:
nec tua ista imperij & auctoritatis ampli
ficatio maiorem nobis læticiam attulit, q̃
illis formidinem: ac illi metu nunc perter
riti atq; exanimati rumore tui nominis,
tot uictorijs illustri, ad extremas nationes
peruagato, cum ita reformident aduen=
tum tuum, ut ad omnem mentionem tui
per=

perhorrescant: id profecto facere existimandi sunt, quod in tali re atq; periculo fieri passim solet, ut ante Deorũ suorum imagines (quos illi peruerse admodũ & superstitioso ritu colunt) procũbant supplices, precibus obtestentur, impenseq; obsecrẽt, quo tu ab huiusmodi præclara uolũtate abducare. Quod si tu in medio cursu felicitatis ac uictoriarũ iã usq; eò progressus, unde promptum atque expeditum iter est ad peragenda quæ restant, te ea quidem uberiora, ad gloriã: ad opus uero & laborem leuiora, repente constiteris, te represseris, tantamq; lucem dignitatis, amplitudinis, & ipsius (ut ita dicã) immortalitatis, aut non aspexeris propositam, aut reliqueris ultrò, atque contempseris sese offerentem, nimirum id quod cum nostra, tum uero honoris tui abominamur causa, & hostibus tuis infestissimis insperatam læticiam, & socijs amantissimis inopinatam calamitatem importaueris:

tauerís: Itaq; illi frustra se pertimuisse, falso de te iudicasse se arbitrabũtur, inanẽq; suã de tua uirtute opinionem irridebũt, iactationibus efferentur, lapsum & quasi ruinã laudis auctoritatisq; tuæ, suæ auctoritati existimationiq; fortitudinis ascribent: impunitatemq; sibi preteritarũ iniuriarum, non solum donatam putabũt, sed etiam licentiam nouarum: nos uero quorum erat saluti, & fortunis per te consulendum, omni spe orbati desolatiq; auxilio, miserabimur grauiter cõditionem nostram, perpetuoq; lamẽtabimur: plus illorum ad muta & irrita Deorum simulachra, superstitiosas preces quàm, nostras ueras lachrymas, iustos que dolores apud Dei omnipotẽtis animum ualuisse: & cum ipsorum illis Dij propitij esse non possint, eum Regem qui nobis possit, quiq; in nostra spe et salute retinenda, uicariam propemodum habeat Dei immortalis potestatem: pro hostium potius uotis,

uotis, cõtra dignitatem suam, quàm pro salute sociorum ex amplitudinis suæ gloria egisse. Quod eò etiam erit indignius ferendum, quod illorum uota nihil aliud spectant, quàm facultatem inferendæ nobis iniuriæ ac calamitatis: nostra ad unã rationem intẽta sunt, recuperandæ honestatis. Quapropter est hoc omnino tua Maiestate dignum, hoc debitum excellentiæ tuæ, hoc propriũ tanti Regis, hoc & ijs rebus quas gesisti & ei expectationi, quam concitasti imprimis consentaneum, ut te in huius præstantissimi facti cogitationem dedas, Turcarum'que imperium, quod nostra cum pernicie, & Christianæ religionis, unde tu clarissimũ cognomen accepisti, labe atque ignominia auctum adhuc & cumulatum est, tollendum funditus atq; extinguẽdum tuæ uirtuti felicitati'que assumas. Nam quod aliud munus est regnandi, quàm in his rebus meditandis & gerendis, quę Rempublicam

blicam utilitate beneficioq́ comprehendant, & alienę commoditati elaborare et suę laudi. Sanè est hoc ita agnatũ regibus & quodammodo affixum, ut qui ab hac præclarissima mente desciuerunt, neque nomen regium, neque dignitatem unq̃ potuerint sustinere: sed falso quidẽ usurpauerunt regum & principum nomen, rem autẽ ipsam repudiarunt penitus atq; contempserunt. Magna est species, magna grauitas, magna maiestas principatus: quam qui non in purpura, nõ in opibus, nõ in insignibus & comitatu, sed in uirtute, sed in iustitia, sed in animi magnitudine, sed in sapiẽtia positã esse putauerũt, ij reuera principes: neq; hoc tantũ sed optimi et clarissimi principes fuerũt: q ad commoditatem eorum qui suæ fidei cõmissi concreditiq́; essent tuendam: & ad comunem generis humani utilitatẽ procurandam se esse natos existimauerunt: qui ita constituerunt: propterea quidem, quod

quod Imperium nihil aliud intelligebant esse, nisi curam alienæ salutis, exercitationem propriæ uirtutis, studium cõmodi publici, negligentiam priuati, se potestatem quandã ad Dei similitudinẽ inuentam obtinere: idq; operis sibi incumbere ut generi humano benefici imprimis & salutares reperirẽtur. Quo etiam eorum est nomen magis ab omni memoria detestandum, qui in tam celsum gradum honoris sublati, potestate, quam habuerunt, non ad ullã illustrem rationem, sed ad priuatos quæstus & libidines sunt abusi: horũ nimirũ scelere atq; importunitate nos afflictos et perditos, pluresq; à gremio sanctæ religionis prouincias dolemus esse distractas: Sed illi qui in flagitijs atque in omni libidinum genere suis cupiditatibus morem gerere studuerũt, ab eis rebus quas tantopere amplexi fuerant, direpti morte, atq; diuulsi, æternis nũc, & meritis supplicijs exercentur: nos uero

uero eorum culpa in extremum discrimē adducti, hoc maiore sollicitudine animi & labore, tuam & fidem, & diligentiam imploramus: ut laborāti christianæ reipu. subuenias, superiorumque temporum ruinas tua uirtute & pietate fulcias. In quo uide quam in opinionem de te discesserimus: magnum uere iudicamus Regem, qui subditorum suorum saluti cōsulit: estq; hoc ita proprium regis, ut sine eo nec munus regale, nec officiū constet: Igitur cum te ad orbis terræ uniuersi salutē deposcimus: quæ recta religione cōmunicanda uictis ac uictoribus futura una & eadē est: cū inquam te ad hanc rem tātam gloriæ celebritatisq; plenissimam idoneum putamus, non ne dignum qui omnibus gentibus imperes arbitramur? Enimuero ex tuis rebus gestis, multa habuimus in te ipso uirtutū documenta maximorū: nā et prudentiā in cōsilijs, et fortitudinē in periculis tuā cognouimus

uimus, et uehementiam in agendo, celeritatem in cõficiendo, clementiam in ignoscendo: quæ sunt omnes imperatoriæ uirtutes maximi ducis propriæ, bellicæq́ laudis & uictoriæ comites: quibus cõdocesimus te ad sanctissimi belli, quo te adhortamur expeditionem, copijs, & omni facultatis genere esse instructissimum: sed una eius rei uolũtas ac deliberatio te Regem omnium præstantissimum declaratura est: hoc unum ad summam amplitudinem nominis tui reliquum est: hic restat actus, in quo omnes quidem elaborare debẽt, qui in Regnis & imperijs sunt. Sed tu imprimis ac uehementissimè, qui cognomen Christianissimi à maioribus omniũ, quę unquam uirtus cuiusquam, aut fama appetiuit: maximũ clarissimũq́ obtinuisti: nam Regem quidem esse, humanę dignitatis est, Christianissimũ uero, diuini honoris: & in utroq́ tamẽ christianæ reip. curam, & quasi procurationem cernimus tibi esse cõmissam: ex quo

Biblioteka Uniwersytecka Staszica w Toruniu
ELBLASKA

intelligi licet, quò te res ipsa, quò fortunę fauor, quò merita deorum, quò singularis illa nobis perspecta maximis in rebus & in admiratione habita animi tui magnitudo uocet: cum quale munus tibi, & cuiusmodi exercitatio suscipienda sit, nominibus ipsis commoneare: quod si illi, qui tecum aliis rationibus coniuncti, & iuris, et religionis, & quãdoq; societatis, hac una tantũmodo causa, atq; hoc iustissimi belli prętextu, quod nimis cupiditate in alienos fines imminere uidebatur, uicti abs te atq; redomiti: nihil aliud appetierunt, nisi ut potentiam tuam infringerẽt: terminisq; imperii tui summouendis, suos ipsi ut promouerent: fidem autem, & religionem, nec offensam unquam, nec uiolatam esse uoluerũt: quos tamen non solum ui atq; armis, sed felicitate, & deorũ immortalium nutu ab imperio & de auctoritate pristina depulisti. Quid tandem tibi suscipiendũ animi est aduersus eos, qui natura barbari, ferita-

te

te crudeles, scelere impij, & tibi, & nobis, & uniuerso nomini Christiano sempiterni hostes extiterunt? qui fidem sanctissimam, qui diuinam religionem, qui illam alteram partem tuæ amplissimæ dignitatis, quæ quidem & ad ueritatem potior est, et ad commemorationem famę certe gloriosior, quam tu Christianitatis nomine consecutus es, fœdarunt, diripuerũt, omni semper immanitate & inaudito furore lacerarũt? Profecto si fuit magni Ducis eos qui arma contrà ferrent, uirtute, & cõsilio, & militari robore retudisse, est optimi medius fidius, & Christianissimi Regis, quæ tua maior atq; illustrior laus est, nomen sanctissimæ religionis, salutem populi fidelis, contra nefarios hostes defendendam recipere: neque committere ut hæc orbis terræ spes et expectatio, quã incredibilis omniũ erga te beniuolẽtia aluit, tuæ uirtutis opinio cõfirmauit, deorũ eximia aduersum te beneficia corroborauerũt, ratio & necessitas reip.

ſuſtentat, fruſtra eſſe commota uideatur. Ac mihi quidē ad initia generis tui præclara ſanè atq; illuſtria animum & cogitationes meas referenti, uidētur maiores illi tui, qui primi regnum Galliæ ſua uirtute conſtitutū poſteris tradiderunt: hac una re potiſſimū, quod fidem Chriſti cupidiſſimè ac religioſiſſimè acceptam, per finitimas nationes propagare ſunt nixi, auctoritatem ſibi, & firmamentum, ac robur imperio comparaſſe: quorum Pipini duo, & interiectus inter hoſce Karolus Martellus, Pipini primi filius, poſterioris pater, cum etiam tum barbaris & idolatris redūdaret Gallia, Germaniæq; magna pars auerſa à religione, fidei nomen, non ſolum odio, ſed etiā armis perſequeretur, in hac una cura omnes, et uirtutē & uim ſapientiæ ſuæ poſuerūt, ut ſuperſtitione omni ex eis regionibus extirpata, uerus Dei cultus ubiq; cōſerereretur. Itaq; Germani ab illis domiti, Phrixones ſubacti, Saxones in fidem recepti. Quæ

integræ

integræ & ualidę nationes, iugum idem & uestri imperij, & sanctę religionis unà subierũt: ex quo profecto intelligere possumus, quantam illis gloriã uictoria dederit, cum uictis calamitas attulerit salutem: Karoli autem Magni summam, inauditam, incredibilem, ac penè diuinam animi magnitudinẽ, pietatem, uirtutem, quibus adhuc laudibus celebramus, quo honore prosequimur, qua beniuolentia complectimur? qui cum multa bella gessisset, partim tuendorum finium causa, partim inductus propagandi imperij cupiditate, quæ plerunque excellentibus animis innata est: habuit in cæteris causam uel iustã, uel necessariam: quæ uero pro rep. christiana gessit, Sarracenis, qui latissimè se effuderãt ultra Bethin summotis: Hispanis ad fidem adductis, Saxonibus non minus religione, quàm armis subactis, in tanta sunt gloria, ut illius nomen charissimum nulla unquam ex animis hominum deletura sit obliuio: nul-

la diuturnitas illius laudes obliteratura, nullius unquam uox illius chlarissimas uirtutes sit tacitura: quod si illi domesticis semper seditionibus impliciti, bellumque intra fines perpetuũ gerentes, tantum tamen uirtute, & diligentia perfecerunt: ut idem terminus esset eorum propemodũ & nominis, & imperij, ut nusquam arma mouerint, unde uictoriam non reportarint; nullam gẽtem uicerint, quam non & clementia sua, & ueritatis doctrina conseruauerint. Quid tandem est abs te requirendum? qui cum uirtute illis (ut speramus) par; tum uero opportunitate certe es superior. illi enim regno constituendo, finitimisque nationibus adiungendis, tanquam gradus tibi construxisse uidentur, quibus te nunc in cœlum possis attollere. An uero tibi non dispar longeque dissimilis horum ipsorum uidetur, quos modò nominauimus fortuna: atque aliorũ conditio Galliæ Regum, qui nequaquam sibi in simili laude elaborã-
dum

dũ esse putauerũt? Intuere paulisper animo quoniã oculis non potes, longũ ordinem Regum eorum qui te antecesserũt: & cogitationes tuas ad spatiũ recordandum præteriti tẽporis reuoca: nónne ipsi illi fidei propugnatores, qui Reges christianissimi, nõ solùm nomine, sed etiam ueritate se esse uoluerunt: stare tibi uidentur in immẽsa diuturnitate, insignes atque conspicui, tanquam ad sepiternam uirtutis, & gloriæ uitam erecti: uetustate inuicti ac in dies potius magis efflorescentes? cæteris prostratis atque abiectis: neque solum morte, id quod communis infirmitatis est, sed etiam, quæ inertiæ peculiaris poena est, obliuione oppressis? mihi medius fidius uidentur illi elucere tanquàm lumina: & cum longinquitas temporis sensim rebus obducere obscuritatem soleat, omnem caliginem uetustatis clarissima luce nominis sui uincere. Quos cum cæteri Reges atque Principes diuerso ex genere, remotissimis in

terris proponere sibi ad exemplũ rerum bene gerendarum soliti sint: tu domesticis exemplis non accendare? Non foret hoc animi, nõ ingenij tui: ne nostræ quidem spei atque opinionis, quam de tua sapientia concepimus: Illud potius tuæ & eximię uirtutis, & excellẽtis animi magnitudinis efficere: ut cum illi in maximis difficultatibus, regno nouiter instituto, finitimis omnibus ad arma cõtra eos euntibus, tantum labore et diligentia enixi sint, ut latissime fines & imperij, & religionis extenderint: tu in summa rerum, quæ ad hoc bellum idoneæ sunt, facultate & copia, in amplissima auctoritate, in robore exercitus inuicti, tot & tam magnas oportunitates, tanta uirtute excipias, ut illi minus multo præ te uirtute, ꝙ occasione ualuisse uideãtur, Nã quid ego de cæteris dicã ex eadẽ, uel familia, uel patria maioribus tuis? tulit enim, tulit hæc terra duces plurimos, cum ex bellicis laudibus illustres, cum animo in religionem

gionem pręstantes, non'ne Karolus Tertius eodem itinere suscepto, quò maiores suos institisse ad summam laudem uiderat, eorum uestigia magna cum cura est persecutus? cui quidem Normãni, gens ferox armisq; indomita, quod credunt Deum uerum, quod cognoscũt, quod in spem salutis & æternitatis educuntur in lucem, atq; educantur, totum acceptũ referunt. Quid illi, qui hoc ipsum idem bellum, cuius ubi nunc & cupiditatem, & uictoriam uotis & desiderijs nostris adoptamus, singulari felicitate et gloria cõfecerunt? Gothifredus, Balduinus, Vgo, Roberti duo, qua tandem in celebritate famę, & quàm grata commemoratione omnium gẽtium uersantur? Quos, cum neq; regnum obtinerent, neq; summam haberent potestatem: tamen in sanctissimam expeditionem proficiscentes, innumerabilis ex Gallia multitudo fortium uirorum consecuta est: atque illi signis aliquotiẽs collatis, maximis exercitibus ad-

uersariorum fusis atque fugatis: urbibus munitissimis expugnatis, omnia à Bosphoro & Propontide, ad usque Aegyptum armis perdomuerunt: cum eorum uirtutem, cœlestibus præsidijs armatam, nulla hostium tela, nullæ obiectę altitudines, nulla uis opposita retardere potuisset. Itaq; illorum tunc opera & regnum Hierosolymis constitutum est, & barbaræ nationes edoctæ, nobis ad hostes retundendos, uiolatamq; religionem persequendam, non uim plerunque aut facultatem, sed curam abesse: quod grauissimis intra nos dissensionibus distracti, temeritati potius & iracundiæ, quàm sanis consilijs adhæremus. Neque hoc barbarorum fefellit astutiam, qui uirtute nūquam nobiscum, tēporibus semper pugnauerunt: nam tum pulsi penè omni Asia, aliquot quieuere annos, dum nos ad nostram amentiam & fatalem quasi calamitatem rediremus: cuius mali simul atque signum à nobis cecinit, continuo
in

in nostras seditiones ac discordias impetus ab illis factus est. Qua in clade periculoque nostrorum, duo maximi fortissimique Galliæ Reges, diuersis tamẽ temporibus, laboranti in his locis populo Christiano succurrere sunt conati, Philippus, & is qui ob eximias dotes fidei, pietatis, continentiæ in diuorum numero relatus est, Ludouicus sanctus, cuius quidem laus hæc propria est, quod in Asia primùm, mox in Africa, barbaris atque infidelibus bello consectandis, integram cõsumpsit ætatẽ: uerè magnus ille Rex, qui semper & Regiæ dignitatis officia, & Dei immortalis beneficia ante oculos proposita habuit: uerè ad hominum salutem natus & tutelam, qui cum eas contentiones refugit, quæ ad Christianorum perniciem, tum ea bella suscepit, quæ ad hostium etiam liberationẽ pertinerent: merito igitur ille ac iure optimo felix fortunatus, cuius inter homines nomen, in coelo spiritũ ad æternitatẽ

uitæ

uitæ cernimus consecratum. Porrò autem te ipsum tantæ circumstant nocte & interdiu maiorum tuorum autoritates, ut domesticæ laudis recordationem intermittere non queas: his tu exemplis, his documentis præstãtissimæ uirtutis, quæ domi tibi nata sunt, omnibus quidẽ proposita ad imitandum, tibi uero uni insita ac penitus affixa, atq; ab his initijs generis, uirtutis, dignitatis, potentiæ: quodnam tandem appetere fastigium gloriæ debes, tanto altiore ex fortuna, cum illi aliquanto inferiore ex loco ad summam laudẽ nihilominus cõtenderint. At enim bellũ graue est, & periculosum, hostesq; ij qui & manu, & copijs, & omni apparatu bellico maximè sint formidabiles. Primùm si ita esset, quod est longè secus, tamen esset magni regis, non aduersariorum potẽtia deterreri, sed uirtuti suæ confidere: tantoq; maiore cupiditate incendi ad inferẽdum bellum, quantò esset uictoria, potentissimis hostibus deuictis, fu

tura

tura illuſtrior: Deinde ne hoc quidē ſpe-
ctandum ſemper eſt, ut ne potētioribus
bello laceſſendis, in diſcrimen ſtatus et ſa
lutis noſmetipſos coniĳciamus. Et enim
ſi hoc cautū perpetuò atque obſeruatum
fuiſſet, nūquam neq; magna imperia cō-
cidiſſent: neque multę reſp. ab exiguis in
firmisq; principĳs ad ſummam amplitu
dinē fuiſſent elatæ: Sed homines animo
ualentes, conſilio prouidi, cū hoc anim-
aduerterent, omnes res humanas, cum
infirmas & inſtabiles, tum præcipuè re-
gna atq; imperia aſſiduis cōuerſionibus,
& crebris fortunæ uarietatibus eſſe ob-
noxia, ſæpenumero pro augēda, uel con
ſeruanda dignitate, pericula adeunda ſi-
bi putauerūt. Neq; hoc Turcæ ipſi no-
ſtri æterni hoſtes nō uiderunt, qui cū pri
mo è Scythiæ tenebris erupiſſent, Alba-
noſq; conterminos Ro. imperĳ, quod
etiā tum latè patebat, aduentu ſubito op
preſſiſſent, ex eo deinde loco aſſiduitate,
& diligentia, & noſtris intra nos diſſen-
ſionibus

sionibus aucupandis, latrocinando potius quam bellando uniuersam Asiam. prouinciam occupauerunt: atque horũ ipsorum si esset, ut etiam dixi, non insidijs & latrocinijs, quemadmodum est, sed uirtute & uiribus exaggerata potentia, tamen ad tuam tantam existimationem uirtutis pertineret, eos appetere hostes, quos & piè lacessere, & cum dignitate superare posses: præsertim cum suo ipsi exemplo te docerent, non esse in suscipiendis bellis alienam potentiam pertimescendam, sed suam fortunam periclitandam. Verum ad facultatẽ cõficiendi negocij hoc percommodè cadit, quod non ullam habent potentiam uirtute fundatã, sed tantum falsa opinione earum gentiũ, quas nunquam maiores nostri bellis idoneas esse iudicauerunt. Quid enim imbellius Asia? quid illis populis mollius? quid ad prædam & direptionem expositius? qui incursionibus subitis, atque eo genere pugnãdi, quod fugæ magis quàm prælij simile

ſimile eſt, aliquid fortaſſe ualent aliquan do: robur autem noſtrorũ exercituum, uimcꝫ fortiſſimorum militum, non modò uncꝫ non pertulerunt, ſed ne expectare quidẽ, aut aſpicere ſunt paſſi. At quomodo tẽtos imperij & fortunæ ſucceſſus habuerũt? Equidem ſi occultam eſſe dedecoris noſtri cauſam exiſtimarem diſſimularem & ipſe utique, nec in maximis incommodis detrimentiſcꝫ noſtris uerecundiam quocꝫ fatendi ſuſtinerem. Sed quoniam & eius rei ratio ita expoſita ac patens eſt ut celari nullo modo poſſit, & ad rem maximè pertinet intelligi omnia alia, potius ꝙ uim uirutemcꝫ hoſtiũ cauſam nobis calamitatis fuiſſe: proferendum eſt opinor, inteſtinas noſtras cupiditates, amentes que diſcordias, & hanc unam quaſi fatalẽ noſtri generis peſtem, quod ſociorum iniurias acerbiores habuimus ſemper ꝙ hoſtiũ: & facultatem illis ſummam inferendæ iniuriæ, & impunitatem factæ tribuiſſe. Quoquidem in

in malo illud tamen inest boni, quod id quod ad nostrũ dedecus, turpissimũ uidetur esse, ad spem recuperandæ dignitatis est aptissimum. Nam si aperta hostium ui, & uirtute, fracti superatique essemus, minus quidem turpiter cecidissemus, quod enim dubius belli Mars, ancipitesque prę liorum solent esse exitus. Iccirco qui honestè calamitatem subeunt, misericordia potius quam uituperatione digni iudicãtur: sed in reliquijs retentæ honestatis, omnes salutis reliquias amisissemus: nec solùm redintegrandæ ueteris fortunæ spes extincta in nobis fuisset: sed etiam uitæ obtinẽdæ ratio funditus sublata: quis enim & hostiũ, & uictorũ, aut fortitudinẽ rursus lacessere, aut crudelitatẽ effugere ualeret? Nunc maiore in macula nostri nominis atque labe, quod culpa lapsi, nõ fortuna putamur & amẽtia nostra contractã, non hostiũ uiribus inustã turpitudinem ferimus, amplus nobis ad bene sperandum aditus est: si à socialibus inimicitijs,

citijs & simultatibus cõuertere animum ad arma pro summa religione honestius tractanda uoluerimus, facillimam nobis rationẽ resarciendæ dignitatis fore. Atq; hæc, ut nõ tam uerbo posita, quàm ratione firmata uideãtur, breuiter est, quemadmodum res processerint, à nobis perstringendum. Bizantij sedes fuerat imperij: non dicam hoc loco, quâm prauo ac pernitioso consilio illius, qui urbem Romam ea Colonia exhauserit: imperium diuiserit: uires populi Romani distraxerit: unitatem & concordiam de principatu sustulerit: hoc dicam, cum Vrbs illa ob crebras mutationes Principum atque imperatorum, intestinis seditionum fluctibus agitaretur propè quotidie, Turcis occasionem inter eorũ discordias ad occupandam Asiam fuisse patefactã. Dissensit postea Græcia à nobis: nec tantum odio, quo semper illa gens nostros homines prosecuta est, sed etiam de summa fide & religione: cum homines illi ingenij

existimationis cupidi, latinorum sapien-
tiæ cedere: auctoritatemq́ sanctæ Rom.
ecclesię grauissimam habere animũ non
induceret. Itaq; hæc quoq; nobilis terra-
rum pars à corpore Christiani imperij
abrepta atq; diuulsa est: Thracia: Põtus:
Maxima Illyrij pars: uicinæq́ prouincię
complures, eisdem dissensionibus debili
tatæ, cum qui finitimorum armis impa-
res fuissent barbarorum auxilijs uteren-
tur: eodem perfidiosissimorum hostiũ iu
go sunt oppressæ. Accidit enim ut qua-
si fatali quadã uecordia obsessis eorum,
qui in eis regionibus imperitabant ani-
mis, finitimi semper reges dũ inter se atq;
hostem aliqua gẽs & natio intercederet,
id se temporis tantisper lucrifacere arbi-
trati, auersiq́ penitus cæcitate & amen-
tia, continente mox incendio, eadem pe-
riculi flamma corriperẽtur. Restabat lu
mẽ orbis terrarum: caput omnium pro-
uinciarum: domicilium imperij: sedes ue
ræ religionis Italia: quæ & ipsa multitu-
dine

dine Regulorum ac principum diſcordijs in plures partes diſſecta: quod integrum unius corporis robur non habebat, nepharijs hoſtium excurſionibus aliquotiens uexata eſt. Dicam equidem, & dolenter dicam, id quod ſine magno gemitu animi loqui non poſſum, cum inter Principes Italiæ, atq; inter eos qui ſe ſuarum nationum Reges aut Duces appellari uolebant, tantus uerſaretur furor: tanta & tam acerba odia intercederent, ut alius in alium, non tanquã in ſocium, aut in ciuem, aut ut ex eadem lingua & genere, aut deniq; tãquam in hominem, ſed tanquã in acerbiſſimum et teterrimũ hoſtẽ alieni generis contrariæ religionis: diſſimilis naturæ: inhumano odio: inuſitatoq; ferretur: neq; iræ modũ ullũ: neque inimicitiarũ cõſtitueret: eò ſcelus erupiſſe quorundã, ut ad ulciſcendas finitimorũ iniurias, & iracundiã ſuam ſanguine ciuili explendã: barbarorũ Chriſti hoſtiũ auxilia aduocauerint, & quoad eorũ

fuit, in prædã illis & seruitutẽ Italiã obiecerint. Quid hac re crudelius & sceleratius dici, aut excogitari potest? Adeo ne apud homines impios nihil sanctum: nihil legitimum: nihil fas ualuisse: ut quos illis natura genuit hostes, cũ eis ipsis nefariam societatẽ coierint: qui uero essent plurimis necessitudinibus coiuncti, & iuris, & religionis, & patriæ, eos internecinorum hostium loco habẽdos duxerint? patriamq; & suã, & cõmunem fidelium salutem: orbisq; terræ statum ob hanc unam causam, ut ipsi inimicorũ incommodis uidendo fruerentur, in periculum extremę calamitatis adduxerint? Verùm hæc quæ grauiorem querelã desiderant, in aliud tempus reiicienda sunt. Illud autem quod fuerat nostræ orationi propositũ clarescere iam arbitror: Turcas his semper artibus his insidijs usos, tantu terrarum Christiano nomini per discordiarum nostrarum occasiones intercepisse: quantum nos cupiditatibus & seditioni-
bus

bus auersi dimisimus. Ac si diligenter rē expendere: & de eorum successibus uere existimare uoluerimus: reperiemus Turcarum imperium non ulla ipsorum fortitudine propria, non exquisitis consilijs, & inaudito quodam genere prudentiæ: nō terrestribus maritimisq; uictorijs, in quibus aperta, & ueritate illustris uirtus enituerit: sed nostris dissidijs: nostris furoribus: nostra amētia, & institutum fuisse, & auctum, & confirmatum. Quid enim illi unq; agere fortiter, aut cum uirtute facere potuerunt? qui neq; exercitus habent statarios: neque acies pedestribus copijs firmas, in quibus præcipuum robur militiæ consistit: neq; cataphractos equites, qui pro muro in prælijs esse solent ad propulsandos hostium impetus, suorumq; immittendos: Sed tātum leui utuntur equitatu, apto ad excursus, si nihil obstiterit: si nemo arma contrà mouerit: sin autem aliquis fuerit obiectus terror, aptiore ad fugiendū: ut cum in con-

ferenda cum illis manu dubiũ uehemen ter sit, utrum plus periculi in fuga, an securitatis sit in uirtute, hęc res maxime animos nostrorũ militũ cõfirmatura in pugnãdo sit, fortitudinemq́ excitatura: numero quidem sunt infiniti, sed bene institutæ militaris disciplinæ semper fuit, qua nostri ualent plurimum, uirtutem intueri, multitudinem cõtemnere: Quis enim unquam magnus imperator ad præclaras res gerendas, turbã hominũ & multitudinem potius, q́ robur, & scientiam pręliandi requisiuit? Atq́ hęc ita à nobis disputãtur, quasi ut cognoscamus quid illi facere potuerint: illustrius est commemorare q̃d fecerint. sic enim facilius intelligemus falsam esse de illorũ potentia opinionẽ, quæ ignaras mentes nõnullorũ occupauerit. Hic ego antiqua omnia prætermittam ea, quæ uetustioris memoriæ fuerunt: neque illa reuocabo oratione mea, quæ maiorum tuorum laudem cum exemplo pulcherrimæ uirtu-

tis

tis habēt coniunctam: Nō narrabo hoc loco Gothifredos, Balduinos, Ludouicos, Philippos: nō dicā hisce in Asiā trāsmittentibus, & per omnes orientis prouincias fidei uexilla inferentibus, quotienscūq; signa cum Turcis collata sunt, quæ sæpissime certe fuerunt, quotiens urbs aliqua nobilis obsessa, quotiens aut in campis, aut pro muris prælio decertatum, totiens fractos hostes, & tandiu cæsos, quoad manus nostræ sufficere ad laborem potuerunt, cum illorum aliquos numerus, non ipsorum uirtus texisset, transitum nostris ad Aegyptum usq; per suorum cadauera corporum præbuisse: hæc ego omnia prætermittam, & si quæ alia eiusdem modi, quæ remotioris temporis sint: pauca tantū recētia, atq; omnibus nota cōmemorabo: quę nuper facta sunt, quæ uel ipsi uidimus, uel proxima ætas sensit. Clara adhuc Mathię Regis inclyti memoria extat, atq; omnibus grata: qui cum Pannoñijs præesset, regnūq;

obtineret: opibus tenue: copijs nõ ita firmũ: solitudinibus propè desertum: perpetua nihilominus cum Turcis finitimis bella gessit: quorũ inimicitias usq; adeò appetijt, ut in eis persequẽdis gratam se rem Deo facere: fidẽ defendere, honori suo consulere se arbitraretur: robur autem eorundem & audaciam, ita non extimuit, ut cũ sexaginta milibus equitum suum regnum quandoq; ingredientes, ipse non amplius quàm duodecim militum milia ducens, marte collato profligauerit: ultroq; in eorum fines sæpe intrauerit: omnia populationibus & rapinis infesta reddiderit: quibus illi rebus territi, magni atque inuicti (ut ipsi aiunt) Asiæ & Thraciæ dominatores: legatos ad Mathiam regem miserũt: qui perpetuam pacem ab eo & fœdus æternũ postularent: qui tamen re inexorata, domum remissi sunt: cum Rex ille fortis atq; magnanimus, dignus illo loco, et nomine, bellum illud, non periculo sibi, sed saluti, atq; illo

rum

rum inimicitias, nõ uexationem quietis suæ, sed alimentum gloriæ esse existimaret. Hic ego te, LVDOVICE Rex, nõ solum ad considerandã hostiũ ignauiã: sed ad intuendam uirtutem fortissimi Regis uoco. fuit ille tibi nomine regio par, dignitate inferior, opibus, & potentia nequaquam conferendus: uirtus porrò utriusque uestrum, maximis in rebus perspecta & cognita: sed illius adhuc quidem ad communem beniuolentiam aliquanto gratior, propterea quod in ijs rebus gerẽdis uersata est, quę ad Deum, & religionem, & salutem cunctarum gentium pertinebant. Tu uicisti populos auctoritate graues, copijs refertos, ditione prępollentes, longa & diuturna imperij dignitate memoratos. Sed tamen id bellum confecisti, quod exitum habuit illustrẽ, causam non iucundam: quis enim unquam bono consilio prædutus, fidelium arma contra fideles sumpta comprobauit? Et sunt tamen quandoque necessario summenda:

ut tibi fortassis fuerunt: neq; nos bellum susceptum reprehendimus: sed de necessitate belli conquerimur. Itaq; uirtutem & consilium & clementiam tuam laudamus, quod non solum scisti uincere, sed etiam parcere: pietatem requirimus, hoc est, in Deum gratam uolūtatem: ut cum ea quæ ad dignitatem & cautionē tuam pertinere putasti, ipsius Dei auxilio cōfeceris, nunc quæ ad illius dignitatem amplificandam, religionemq; pertinent, suscipienda tibi putes: cum præsertim & ij hostes sint, qui non sint pertimescendi, & ille Rex eos sæpe uicerit, qui tibi nequaquam par ulla in re, uel facultate habitus sit. Nam quid ego illam ad Belgradum Panoniæ oppidum cōtra eosdem barbaros nostrorum uictoriam commemorem? quæ eiusmodi fuit: ut cum de paucitate nostrorum militū audiremus: uix credere possemus, uel infirmam manum aduersariorum ab eis potuisse superari, cum de infinita barbarorum multitudine

titudine intelligeremus, uix ullos maximos exercitus illis potuisse resistere arbitraremur: nónne tunc illius exitu prælij, & nostrorum uirtus, & hostium ignauia demonstrata est? quod si occurratur, illam nobis uictoriam deorum immortalium munere fuisse donatã, quorum nusquam ullo in prælio, aut periculo, neque fauor apertior, necq; beniuolentia in nos manifestior fuit: quandoquidem inermi homine, præeũte, crucis tantum uexilio illato atque obiecto, stupefacti hostes, & diuino numine attoniti sese in fugam & stragem pręcipitauerunt: quid nam est, quod aut gratius accipere: aut libentius confiteri debeamus, quàm Deos immortales, qui sua ui, & potestate omnia gubernẽt, placatos nobis atque propitios, ad græciam, atque Asiam in ditionem nostram redigendam, suam opem & auxilium polliceri? An si paucorum audacia ad tam præclarũ facinus peragendũ, deorum numine instincta,

innumerabilem

innumerabilem barbariam fundere, &
profligare potuit, tui fortissimi exercitus
robur, legionesq́ totidem ferè uictorijs,
quot prælijs exercitatæ, ducibus eisdem
dijs immortalibus, ignauissimos hostes,
magisq́ ad fugam, quàm ad pugnā pa-
ratos, ferre uim suā et grauissimā impres-
sionē sustinere pmittent? Quid illa Rho
diorū urbis oppugnatio, q̄ clara ad ho-
mines fuit, q̄ animaduersa apud Deos:
quāta clade hostiū, atq; ignominia nota-
ta? quæ Vrbs inuictissima, Deoq́ & san
ctę religioni fidelissima, cū ad omnes bar
barię fluctus, tanq̄ scopulus opposita sit:
eorūq́ immanes & furibundos impetus
elidat sæpe, & reprimat: nō ita multis an-
nis, maximis Turcarū exercitibus terra
mariq́ obsessa est: quo quidē in tempore
tanta Rhodiorum equitum uirtus: tan-
ta eius populi cōstantia & fortitudo fuit,
ut cū hostes ter magna ui irrumpere co-
nati essent, ter essent repulsi atque eiecti,
maximo suorum numero interfecto aut
capto:

capto: reliqui salutem sibi fuga quærere sint coacti. Hic etiam dicēt credo, quo de nostrorum laudibus detrahant, non hominum fuisse, sed Deorum illam uictoriã, quod fulgore insolito cœlitus ad confirmandos nostros apparēte, pleriq; Turcarum in acie sine uulnere, sine sanguine, sine ulla aperta ui conciderint: quasi uero quicquam sit, quo nos magis iure gloriari possimus, aut non ipsi citius impietatem suam nuncient, quàm nostram laudem minuant: Nulla præstantior uirtus est, quàm quæ Deorũ immortalium iudicio est probata: nec ullorum laus ad celebritatem insignior, quàm quibus laudem Dij ipsi immortales tribuere. Verùm nunc non de nostra laude, sed de illorum ignauia, & falsa opinione fortitudinis disputamus: qui in dissensionibus nostris locum insidiando, ac latrocinando sibi inuenerunt: qui pleraque omnia dolo & furto subripuerunt: nunquam autem frontes nostras & nostrorum mi-

litum,

litum, uim & impetum sustinuerunt: horum nos hostiũ, huiusmodi nos Barbarorum iactantiam, & minas, & crudelitatem perferemus? Hos diutius insultare capitibus nostris: hos agere, ferre fortunas nostras: ab his contemni Deum: ab his despici fidem: ab his sanctam religionem lacerari patiemur? O indignitatem non tolerandam: quid enim minus ferri, aut dissimulari potest, quàm fortes uiros ab inertibus impugnari, sanctos à sceleratis, fideles à perfidis? At enim hęc nostrarum rationum argumenta sunt, quid? illi quod'nam de se iudicium, & de sua uirtute fecerunt? Operæprecium est cognoscere, ut intelligamus quantum illis terrorem nostra arma iniectura sint, cum cognouerimus eos armorum fama, & solo rumore nostri exercitus penè de imperio fuisse depulsos. Primus ad Italiã, nostra memoria trãs alpes cum exercitu accessit Carolus Rex ante te Galliæ: accersitus ab ijs qui salutẽ suã illius præsidio munitiorem

nitiorem fore putauerũt: uenit armatus: bellũ plerisq; principũ intulit: tantos autẽ, & tam incitatos cursus habuit uincendi, ut illũ nonulla uis hostiũ bellica, non rupes inuiæ, nõ munitissimæ Vrbes, sed oppositum mare, & alterius natura elemẽti, fluctus deniq; ipsi retardarint: quid tum igitur, quid audiebamus? Quid erat certissimis nunciis & literis allatũ? nónne id quod etiã nunc recordantes tantã occasionẽ è manibus amissam fuisse querimur? Regem uidelicet Turcarum metu perculsum, & territum relinquẽdam sibi Epirum & Græciam putasse: præsidia ex oppidis omnibus deducta: copias omnes Bizantium fuisse reductas: classes ad Hellespontum adesse iussas: cum non iam de obsidione perferẽda: aut de ulla ratione resistendi: sed de fuga et traiectione in Asiam cogitarent. Quod indicium de illorũ timiditate certius quærimus, quàm quod ipsimet de se edide runt? Illi Galliæ copias: illi Galliæ impetus

tus ſuſtinere ut poſſint, qui fama: qui nomine: qui rumore appropinquantis Gallici exercitus, in fugam ſunt traiecti? An tu Carolo Rege ulla re es inferior? num uirtute: num auctoritate: num felicitate: num prudentia? Ille Italiam curſu peragrauit: tu imperio comprehendiſti: ille reſiſtente nemine, quacunque uoluit iter fecit: tu ualidiſſimos exercitus, qui obſtare conati ſunt cedere tibi loco coëgiſti: nihil fermè illi, niſi fortunæ: tu pleraque aſſecutus es cõſilio: itaque illius extremi rerum exitus parum felices: tui adhuc quidem clari & ſecũdi: ſed ſi ad huius belli curam incubueris, quod certo de uolũtate Deorum præuidemus futuri etiam glorioſi: quod ſi Regis illius aliquanto inferioris aduentum, uel inanem potius aduentus famã, Barbari hoſtes uſque adeò extimuerunt, ut de relinquendo imperio cogitauerint, tua ipſius ſigna, qui auctoritate quidem illi, potentia omnibus præſtas: tuos non auditos, ſed uiſos exercitus, certe non

te non feret. Sed quid ista repetimus? aut cur tam longè argumētamur, cum quantum tu barbaris infidelibus omni facultate bellandi præstes, clarissimū documentum in manibus habeamus? Domuisti Venetos, urbem præclaram, atque omnibus rebus insignem, cuius diutinam potentiam, magnis suffultā copijs, omnes miraremur profectò, tam repente, tamque præter expectationem, unius offensione prælij, in quo abs te uicti et superati sunt, concidisse, nisi eodem tempore, & de tua incredibili uirtute, & de Deorū immortalium uoluntate iudicaremus. Verùm ista ciuitas, grauis antea & firma, multis iam seculis cum Turcis bella gessit: factum est periculum utrorunque potētiæ, & maritimis sæpe, & terrestribus prelijs: cū mari superiores semper Veneti essent: in terra ita se gererent, ut ab illis non uincerentur: id certe inter prudentes homines & bellorum gnaros constare intelligebam, nisi Veneti suspitionibus distra-

cti, & finitimorum inimicitijs abducti, ab ea cura fuissent, incp id bellum animo integro, & ab alijs occupationibus soluto intendissent, facile fuisse illos ex omni contentione barbarorum superiores discessuros: qui tamē tuæ uirtuti felicitaticp cesserunt: nec tuam tuicp fortissimi exercitus uim perferre potuerunt: Turcas uero pluribus sæpe prælijs terra maricp uicerũt: qui si Venetis uictis abs te & profligatis, pares bellando non fuere, tuum ne illi ut nomen, tot uictorijs nobile & memoratum, tuam & pręsentis maiestatem et instantis uim ac grauitatē, uocem denicp tuã, uultuscp impetuscp tuos ut sustineant? nō est credibile, non sperandũ, ne fieri quidē posse existimandũ. Quę igitur mora & cunctatio huius belli reliqua esse debet: cuius facilitatem in uincendo hostium ignauia, gloriam eorũ imperij latitudo, uictoriã tuus tibi & fortis & uictor promittit exercitus? Enimuero hæc honoris & amplitudinis tuæ augendæ

propria

propria sunt: quid illa quae infamiae propulsandae? An grauior Regi clarissimo causa uideri debet ignominiae uitatio, quam laudis spes? Veruntamen hoc ultimo inter Turcas & Venetos bello, cum Veneti abs te quod foedere tecũ cõiuncti erãt, auxilium petijssent, idq́ue, tu & amicitię & religioni tribuisses, classemq́ue omnibus rebus ornatã misisses: factum est in maritimo illo cursu & nauigatione, uti paucae naues tuorum, caeterarum comitatu destitutae & derelictae, ad Lesbũ appellerent: nec ita multi milites egressi, ad urbem antiquã & nobilẽ Mitilenas usque, quod nullam apertã hostium uim propter fiduciã uirtutis metuebant, prędando discurrerent: qua re animaduersa hostes, quod aduersis occurrere non audebant, ex circumuentione & insidijs, atque ex locis superioribus, qui mos semper pugnandi hostibus fuit, incautos oppresserunt: ita fortissimi milites non uirtute, neque aduersariorũ ui, sed fraude &

dolis interfecti, atque omni immanitate sunt necati: hic tu si publicarũ iniuriarũ ultor esse recusaueris, priuatas non persequere? Hic te dolor non tanget? hæc te iniuria non stimulabit? ut parentare militibus tuis, fortissimis uiris, supplicio hostium, tuãq; offensam, existimationem uendicare cõtendas? Nam per Deos immortales quid putas illos miseros (quãquam miseri esse nõ possunt, qui cœlum sunt adepti) ueruntamẽ hoc uno miseriæ & calamitatis participes fuerũt, quod non ita, uti decebat fortes uiri à fortibus, sed ab ignauis & timidis strenui necabãtur, quid inquã illos putas, cum iugulũ hosti dare cogerentur, cum non solũ ensibus & gladijs, sed probris & cõtumelijs omnibus impeterentur, doluisse aliud, nisi ignominiam tuam? nõ mortẽ illi suam deflebant, quæ pro mortali conditione uitæ æternitatem illis esset allatura: non de exitio, non de sanguine, non de laceratione sui corporis conquerebantur, q; sibi

ſibi non modò toleranter ferendam, ut à fortibus, ſed etiam alacriter ſubeundam, ut à Chriſtianis intelligebant: ſed ſui Regis maieſtatem, tuam inquam auctoritatem, ſplẽdoremq́ꝫ nominis tui, minui ea re, & uiolari, atque offendi illis in ſe acceptis contumelijs cruciabantur: hic unus erat gemitus: hæc una doloris uox & lamentatio, quam ab illis nõ mortis timor, ſed in ſuum Regẽ beuiuolentia exprimeret: ita cum cæteris mors ſummæ acerbitatis ſenſum afferat, milites tui mortem quidem illiuſmodi optandam, ſed labem & uituperationem nominis tui grauiorem ſibi morte putauerunt: quorum te per fortunas extremæ illæ preces, & crebræ implorationes tui ad ſuſcipiendum animum Regis maximi moueant: ut gratus in fide tuorum, in calamitate miſericors, in tua ipſius exiſtimatione uindicanda acer eſſe uideare. Quod ſi tu tuorum, id quod tamen in tanta clementia naturæ fieri nullo modo poteſt, miſeri-

cordia non tangeris: an ne illa quidē barbara insultatio hostilesq; cōtumeliæ, animum tuum iusta iracundia inflammabūt? Noli enim Ludouice existimare, ullas in ullis dissimilibus feris, tam acerbas inimicitias natura esse genitas, quàm tibi est genus illud impium, infestum, atq; inimicū: tum propter nobilissimū tuum hoc cognomen, q̄d ita præ te fers, ut defensor uideare eius ueræ religionis, quā ipsi auribus & animis nō solùm respuūt, sed etiam abominantur: tum propterea quod potētiam tuam & formidatam habent & suspectam: quippe qui habere in fatis dicantur & in antiquorum uatum prædictionibus, imperium suum à Rege olim Galliæ extinguendum esse: itaque neminem peius te neque grauius oderunt. Quapropter in illo graui tuorum casu, occasione sibi exercendæ crudelitatis oblata, nihil sibi reliqui ad expromendum odium suum aduersus te fecerunt: cum in illis fortibus uiris, mi-

litibus

litibus tuis, ferro conficiendis, atque omni immanitate lacerandis, se contrucidare dignitatem tuam, se abolere nomen tuum, se Galliam ipsam mactare exitio arbitrarentur. Quas tu illorum tunc in te absentem minas, quas illusiones fuisse putas? est hoc omnio abiectorum hominum, metuque pusillanimum, ut in periculis timidi sint, de reliquo insolentes: itaque idem illi barbari, qui tibi ita insultauere absenti, ut iactationis & insolentiæ finem non facerent: si modò tua signa, & tuorum pilorum cuspides procul aspexerint, aut certe armorum, & equum strepitum exaudierint, in fuga & in metu moderari sibi non poterunt. Hic tibi profecto uidendum Ludouice est, ut labem hanc nominis tui eluas: teque in orbis terræ opinionem uendices: nec inustam hanc tuæ maiestati uituperationem esse uelis: nã cũ omnis cõtumelia grauis, tum illa quę perfertur, cum uindicari possit, habet nõ solũ in re ipsa miseriã,

ſed multo magis inferendo turpitudinẽ: uidetur enim qui contumeliam patiẽter accipit, non ſolum alieno facto condemnari, ſed etiã iudicio ſuo: itaque ingenui homines, ac liberali loco orti, nullam unquam fortiorem ad excitandos animos neceſſitatem, quàm metum ignominiæ putauerunt: unus enim uel certe præcipuus dignitatis atque honeſtatis uindex pudor eſt: quem qui diligenter tenuere, ij in laude ſemper hominum, & in omni uirtutis officio excellentius ſunt uerſati. Iam regiæ huius poteſtatis atq; præſtantiæ, num quem maiorem fructũ putas, q̃ quod in eo loco cõſtituta eſt, ut iniuria attingi, neq; impune uideatur poſſe uiolari? Quod ſi homines mediocri loco orti contumeliã omnem atq; iniuriã quocunq; modo queunt, de fama, de nomine, & ab exiſtimatione ſua propulſant: Tu cuius potentiam cognoſcimus: cuius felicitatẽ miramur, cuius nomẽ ad ſocias nationes illuſtre, & amplum eſt, ad

exteras

exteras terribile: quẽ armis: quẽ opibus, quẽ fortitudine: quẽ prudẽtia orbis Christiani longè principẽ omnes gẽtes populiq; confitentur: in quo ad summas res extollendo, fortuna uidetur consensisse uirtuti: cuius neq; uim potentissimi hostes: neq; consilium sapientissimi sustinere potuerunt: tu inquam ab hac auctoritate: ab hac amplitudine: ab hac sapientia, uiolatam existimationem tuam: nomeńq; maximi Regis in uituperationem adductum, ab ignauis & barbaris hostibus patiere? Adde quod illorum res eum statum nunc tenẽt, ut nunquã nec imbecilliores, neq; procliuiores ad delapsum fuerint: nam & is qui omnibus præest unus, cæterisq; imperat barbaris tyrannus, ita et senio et ualitudine cõfectus est, ut neq; mente iã, neq; animo cõsistat: itaque eius auctoritas in cõstitutis quidem rebus, & inueterato more gubernandi, ad homines dicto parere solitos, alicuius fortasse momenti est: Siquid uero noui

 periculi

periculi & perturbationis accesserit, nec pondus ullum prorsus, nec grauitatẽ est habitura. Liberos habet, eosq́ nec numero paucos, & ætatibus firmos: quam ego rem, si prudentia adsit, & æquitas in coniunctis armore uoluntatibus, magnũ imperij eorũ munimentũ fore non negem, sed illorũ hominum et generis illius proprium semper fuit, ut quia singulares in imperio qui rerũ potiuntur esse uolunt: id quod antiquitus ab illis ferè est usurpatum: cæteros necessarios ut quisq́ sanguine coniunctissimus est, ita hostiũ loco ac numero habeant: eosq́ quacunque uia possunt è medio tollẽdos curẽt. Quamobrẽ ipsi iam fratres inter se exulceratis, uel suspitione, uel metu, uel etiã cęcatis cupiditate regnãdi animis, nequaq́ fraternis uultibus atque oculis intuentur: nec huic tanto eorũ malo quod remediũ adhiberi possit ullũ reperitur. Quid enim eos in officio & pudore contineat? mosne maiorũ, at eo ipso instituti atq́ formati,

ti uersari in clade & exitio propinquorũ: haurire sanguinem suorũ, non solùm licere sibi putãt, uerũ etiam oportere. An patris auctoritas & obsecratio? at is fratrem germanum suum adductus eadem obtrectatione regni & familiari usu crudelitatis, usque eò persequi armis non destitit, quoad illi necessitatem attulit, ad nos quos inimicissimos atque infestissimos sibi hostes rebatur, exagitato fraternis armis odijsque cõfugere: cum is hostiles animos placatiores sibi multo quàm fratris fore existimaret: qua in re intelleximus quãta in opinione apud eas gentes & auctoritate sit Gallia, cum is qui prudẽtia & fortitudine excellere inter barbaros dicebatur, dignitate certe erat, et nobilitate maximus, cæteris principibus Christianis omnibus prætermissis, ad unum Galliæ Regem se contulit: illius que potissimum opem & potentiam implorauit: quem suis maxime sciebat formidini & terrori esse. At enim si hæc parum ualida

lida eorum beniuolentiæ & conſpiratio
nis præſidia fuerint, res eos communis,
& periculi ſalutiſq; coniunctio, diſcri-
menq; eorum ſtatus, & imperij concor-
dia atq; amicitia illigabit: qui fieri poteſt:
cum hoc ita reputent, & hanc rationem
ſubducant, bello ſuſcepto atq; cõtracto,
ſiqui eorum à noſtris partibus ſteterint:
ſuaq; cum noſtris arma conſociauerint:
maximam illis partem dignitatis propo
ſitam eſſe: Si uero ad unum quemuis eo-
rum res omnis & imperij ſumma redie-
rit, ullam ijs ne fieri quidẽ ſpẽ reliquam
ſalutis: ita quod magnum hoſtibus præ-
ſidium fore uidebatur, liberũ Regiorum
ætas & multitudo, id cõtrà in noſtra cau
ſa uel præcipuũ reperitur eſſe adiumen-
tum. Reliqui ſunt prouinciarum præſi-
des & militaribus copijs præfecti, homi-
nes ut barbarorũ opinio fert, ſpectati bel
licis in rebus: Sed ſi quid earũ rerũ peritis
credimus, nequaquã cæteris in hac lau
de præſtantes: ueruntamen iſti ipſi, ut ho
minum

minum est genus dominandi cupidum, quod perpetua imperia non tenent, et in spē successionis liberos tollere, gētemq́ȝ constituere non queunt, ingratis Regis honoribus & beneficijs utuntur: ut coniecturā uehementē habeamus, siqua illis ostētata spes fuerit perpetuandæ possessionis, statusq́ȝ et imperij in familias propagandi, esse eos & superstitionē suam, & præsentis fidem officij, nostræ & religioni, & amicitiæ posthabituros. Quid dicam de populis, qui cūcta Græcia atqȝ Asia ferè sunt nostri: rectam enim fidem cognoscunt: diuinis legibus obtēperant, barbarorumq́ȝ et hostium communium neqȝ imperia pati possunt propter crudelitatem, neqȝ commercia propter superstitionem, ac illi incertas quasdam ante hac, et nescio unde inuētas spes aluerūt, recuperandæ aliquando salutis & liberbertatis: ita tamen ut omnes semper suas ad Galliam cogitationes retulerint, Galliā ut desiderijs; Galliā ut uotis, Galliam

ut uoce ipsa & appellatione usurparint. Sciunt enim Galliam in expeditionibus Asiaticis semper fuisse felicẽ: nec solùm de uirtute illorum hominum, sed etiã de opinione uirtutis apud hostes quanta sit intelligunt. Nunc uerò hisce rebus auditis, & celebritate tuæ uictoriæ cognita, alacriore spe refecti atq; erecti, expectãt quàm mox de tuo aduentu ad eas nationes aliquid optati rumoris afferatur. cupiũt enim tibi esse præstò: operãq; suam sentiri aliquam in tanta laude clarissimi operis uolunt: neq; diffidunt sigularem tuam uirtutem, quæ in his rebus, quæ ad fortitudinem pertinent, egregia de se documẽta præbuerit, in eas dein quę ad pietatem & religionem spectãt maiore cum gloria se daturam. Atq; his tot hostium incõmodis & quasi uulneribus eorum reip. adhuc secundæ res obtentui mirum immodum fuerunt: quod enim aduersarios non habuerunt: neque in certamen de imperio sunt adducti, iccirco minus contrectari

contrectari à nobis illorum ulcera, & læsæ partes cognosci potuerunt. Sed ut in corpore humano, si sanitas, & recta ualetudo adsit, membrorum uitia dissimulātur facile atq; occultantur: sin autē morbus inuaserit, singulę quoq; affectę suo loco respōdent partes: si qd luxatū fuerit: si quid contortum: si quid aliqua re aut ratione læsum: sic si quod incendiū in barbarorum fortunas conflatū, & periculū intentatum illis fuerit, erumpent occulta uitia, nec solùm uirtute nostrorum, qua ipsi egent, sed etiā domesticis malis, quibus abundant, opprimentur. Quid? illud quanti? quod & si uulgo minus animaduersum est, in prudentium tamen consilijs, & in ipsa ueritate est positum: quod eorum imperium auctum adhunc diem atq; ita aceruatum, ut ad fastigium hæserit, uertatur iā retror & ruina quadā concidat necesse est: præsertim quod nullos progressus uirtutis habuerit, multos ac magnos fortunæ & temeritatis.

Nam

Nam cũ illa cõmuni mortalitati lex edi-
cta sit, cõditioq; imposita, ut ne qd omni
no humanis in rebus stabile aut perpe-
tuum teneatur: tum ne diuturna quidem
esse imperia queunt, quæ non ualidis ho
minum & Deorum beniuolentiæ præ-
sidijs muniuntur. Opinor enim ut tecto
rum firma fundamenta, sic uirtutem ac
religionẽ imperijs fundamento esse opor
tere: Hostes autem ipsi utro minus ua-
leãt, fortassis est dubitandũ, qui neq; uir
tutis laudẽ unquã tenuerunt, & propter
superstitionem Deo sunt infesti. Quid
igitur in eorum rebus firmamenti, quid
roboris inesse potest? qui neque concor-
diam habent, aut sapiẽtiam principum:
neq; fida imperia Ducum: neque uim &
uirtutem militum: neq; beniuolẽtiam &
studia populorum: Dei autem immorta
lis iudicio & humanarum rerum uicissi-
tudine, ita ad occasum sunt uicini, ut eo-
rum uires etiam sine aduersarijs infringi
iã ipsæ per se ac debilitari, nec ultra in eis-
dem

dem uestigijs mansurę uideantur. Hanc igitur occasionem tãtam, tam paratam, tam expeditam cum tuæ uirtutis materiem, Ludouice, esse cupimus, utrum te ad dubiam periculi aleam, an ad certam uictoriæ laudẽ cohortamur? Etenim sic, quæso, considera tecum ipse, & de tota ratione summam fac. Tua te & uirtus & fortuna in editissimo auctoritatis loco, ex prouidentia Dei cõstituerunt: omniũ oculi in te sunt coniecti: liquidò patet, atque omnibus constat, ex illiusmodi potentiæ fastigio, quocunque te miseris, nullam uim, nullas difficultates, nullos obices, tibi morę aut impedimẽto futurum: quod omnia ui atque armis perrũpere paratus es: hostes sunt ij, quos relinquere iniquum ac pestiferum est, opprimere, non solum sanctum, uerũ etiam necessariũ: atque ij ita imbecilles reuera ac infirmi, ut minore aduersario casuri facile sint: Tu in omni facultate tantus, ut grauiores longè hostes ualeas superare: reliqui

socij atq; amici, quorum per te, & fortunis, & saluti est consulendum. Vidēt por rò omnes hoc interesse inter casum, atq; uirtutem, quod qui auctore casu magna assecuti sunt, illi quę reliqua sunt ad tuen dam, uel amplificādam laudem, nec co gitare sciunt, propter imprudentiā, neq; exequi ualen, propter inertiam: quibus autem uirtus splendorem attribuit, ijs perfectum nihil uidetur esse, siquid etiā nunc restat quod sit faciundum: ita tui arbitrij est, utrum malis cunctarum gentium iudicio, ea quæ hactenus gessisti maxima & præclarissima, per fortunam tibi collata, an per uirtutem adepta existi mari. Quid dicam de nobis, qui quòd te salutarem fore Regem credimus, singulari in te beniuolentia cōflagramus? No li enim putare, Ludouice, Gallicas natio nes te amare, téque in oculis ferre, Italas autem in alia esse uoluntate: fuere quondam utræque gentes, ut locis desiunctæ sic uoluntatibus: descrimenq; alpes facie bant

bant non minus animorum, quàm terrarũ: nunc & amicitia, & cõmercijs, & legibus coniuncti omnes sumus: omniaq́ eiusmodi discrimina sanctissimæ religionis iugo, atq; hac una fide, quod Deum, Dei filium uenisse in terras nostræ salutis causa recepimus, sunt exæquata: hoc cœlesti uinculo illigati inter nos, & uincti studijs eisdem, & beniuolentia conspirauimus. Quare cum illum habemus uerum legitimumq́ principem, quocunq; ex genere sit, quacũq; è regione, qui subditorum suorũ cõmodis, & saluti studet, qui populorũ beniuolẽtia muniendũ sibi regnũ suũ putat, tum regẽ de cœlo missum arbitramur: q ad tuendã religionẽ, quę nobis multo uita nostra est charior, & animo sit, & copijs armatus. Itaque qua patet nostra religio: qua diuina fides est cognita, omnes terræ, omnia maria: omnes gẽtes: nationes: principes populi: ipsa etiã littora: insulæ deniq; omnes tuũ unius nutũ intuent: teq; ad hoc pręclaris-

ſimũ bellũ expectãt, & flagitant: de pote ſtate tua ſciunt: de uoluntate ſperãt: non enim iam ulla in te facultas externa aut fortuita requiritur: non magis idoneum tempus optatur: non Dux præſtantior ad communem ſalutem expetitur. Sunt iſta tam largiter & in promptu, ut facile appareat, non humano conſilio, ſed diuinitus tantas opportunitates in unum locum, in unum hominem, in unum tempus collatas fuiſſe. Verùm hic totius rei nodus eſt: in hoc ſalus & ſumma Chriſtianæ reip. conſiſtit, ut tu eam qui potes ſeruare etiam uelis eſſe ſaluam. Cuius igitur opem ad tãtam rem tamq́ difficilem obtinẽdam implorabimus? cuius opera utemur? quæ nobis hoc uel fortuna obtulerit? uel tẽpeſtas aduexerit? aut quæ conſilia hominum expedient, ut tu ad iſtam uoluntatem adducare? Rem enim poſtulamus difficultate grauem: cõſuetudine inuſitatã: magnitudine laborioſam: immo uero qua nulla facilior ſit, nulla paratior:

tior: tui enim arbitrij est, non alieni: quæ ita ad laborem facillima est, ut tamen ad laudē sit maxima. Etenim uel remp. seruare, totum uirtutis est: posse autem, fortunæ: quod si illa quæ alienæ potestatis fuerunt, ita in te cumulata sunt & coaceruata, ut nemo te inter Christianos Principes, aut nobilitate sit, aut auctoritate, aut latitudine regionum, aut numero populorum, aut robore exercituum, aut firmitate imperij, aut deniq; omni copiarū genere abundantior. Tu id quod in te situm est, & in tuo solo nutu positū, quod totum uirtutis est & pietatis, deliberationem uidelicet, & curam, ac uoluntatem sanctissimi belli religionis causa suscipiēdi non adiungas? reliquasq; opes tuas tot atque tantas, quæ suapte natura fugaces, lubricæ, caducæq; sunt, in utilitate publica disponendo, ad æternitatem nominis tui non deuincias? Equidem nihil intelligo subesse causę, quo minus studijs desiderijsq; nostris uoluntas tua consen-

tiat: non enim te fugientem laboris, non insolentem armorum nouimus: non inertem: non segnem: non quietis potius et tranquillitatis, quam & celebritatis, & famae appetentem: quae quondã causae multos ab hoc illustri munere, & omni reipublicę cura deduxerunt: sed fortẽ, sed acrem: sed animi maximi: cõsilij sagacissimi: cuiusmodi extitere aliàs fortassis nonnulli, qui egregiè facti à natura ad omnem excellentiam fuissent, nisi propensa illis in Deum & religionem mens defuisset: hęc una uoluntas coelestibus consilijs dedita, discrimen semper fecit inter improbos Reges atque probos: inter fortes & segnes: inter graues humano generi & gratos. Enimuero tu cum per hosce annos totiens traductis in Italiam legionibus, Insubres primùm: dein Ligures: postremò qui ualidissimi florentissimique fuerũt, Venetos bello appetijsti: maximisque facinoribus editis, fortitudinis & sapientiae, Cisalpinã Galliam armis subactam,

ad

ad tuum imperium adiunxisti, quid consilij aut rationis secutus es? Quaero enim hoc loco: Iniurias'ne ire ultum aliquas uoluisti? an in tuo iure armis uendicando, tuae etiam & posterorum tuorum securitati prospicere? an imperium, an, qui fructus imperij maximus est, comparare gloriam? Omnino uideo aut aliquod horum, aut omnia tibi fuisse proposita: atque illud unà sentio, quę causae tibi huius belli socialis idoneae uisae fuerint, eas multo iustiores esse in barbaros expeditionis. Ac de iniurijs quaero, utrum maiore odio fuisse aduersum te putes, eos qui & maximis abs te beneficijs affecti aliquando fuerunt, & nonnulla ipsi in te sua merita queũt commemorare, an eos quibus cum tibi grauissimae semper inimicitiae, nullae unquam, non modò foederum conditiones, sed ne induciarum quidem intercesserunt? eos qui propter aduentitiam, uel cupiditatis causam, uel suspitionis aduersarij tibi extiterunt, an

eos qui ita natura tibi hostes geniti sunt, ut nulla omnino causa ad ullam beniuolentiæ coniunctionẽ possint adduci: eos qui partem aliquam tuorum finium diripere uoluerunt, quam tamen haberent ipsi, non quam perderent, an eos qui ita crudelitate & sanguine delectantur: ut quæcunq; de nobis ceperint non tueri, sed cruore & flamma delere gestiant: Deniq; eos qui semel tantummodo contra te exercitus eduxerũt, an eos qui & classem tuam tormentis, & fortissimos milites uulneribus, & te ipsum contumelijs absentem appetierunt: qui in maioribus olim tuis Asia expellendis, nullam acerbitatem odij neq; iniuriæ omiserunt: grauemq; & generi tuo, et clarissimo cognomini notã fœdatæ sanctæ religionis inusserunt, cuius tu proprius ac legitimus defensor esse existimare: Profecto si illorum uolũtas, qui tibi obesse conati sunt, id quod tamen non perfecerunt, merito punienda tibi uisa est, horum nõ solùm

uoluntatem,

uolũtatem, uel efferatam potius rabiem nocendi tibi, ſed & ueteres & perpetuas illatas iniurias nõ eſt tuæ maieſtatis relinquere impunitas. Nam de iure quidem ſtatus & regni uendicando, quis dubitare uel minimum poſſit, quin non dicam equidem iuſtius, ſed illuſtrius multo ac magnificentius, tui iuris ſit Aſia quàm Gallia ciſalpina? Primùm quod Regis Chriſtianiſſimi propria eſt earum rerum recuperatio, quę ab hoſtibus Chriſtianitatis iniquiſſimè detinẽtur: Deinde quod Aſiam bello ſubactam à maioribus tuis, & pluribus annis obtentam atq; poſſeſſam, ad eum uendicare pertinet potiſſimum, cui hæriditas, non ſolùm Gallici imperij, ſed & auitæ uirtutis auctoritatisq; uenerit, ut non uana appellatione titulorum, quæ quandoq; perridicule à nonnullis iactata atque uſurpata eſt, ſed ſummo iure ac æquitate patrimonium idem tuũ ſit, & maiorũ tuorũ dignitatis, & ueteris Aſiæ poſſeſſionis. Quod ſi

si in eis rebus quas gessisti, id caput cōsi-
lij tui fuit, ut uicinis grauibus summouē
dis, tuæ & posterorum tuorū quieti tran
quillitatiq; prospiceres, finibusq; tuis me
tum alienæ seruitutis depelleres: non di-
co tota ratione aberrasti, sed ad breue tē-
pus fortassis nonnihil, ad longinquum
certe parum profecisti: Etenim si Vene-
tis, qui per te debilitati admodum, atq;
eneruati sunt, uel crebris lacerationibus
consumptis, uel repentino impetu op-
pressis, Turcæ sese ad te propius admo-
uerint: locum que sibi aliquem in Ita-
lia ad uexandā orbis terræ nobilissimam
partem munierint, id quod futurū omni
no est: nisi tu illorum uigilantiam, & insi
diosos conatus, tua uirtute anteuerteris,
quid uenturum est? Non dicam Regni
tui finibus: qui quotidianis hostium in-
cursionibus erunt expositi: non successo
ribus tuis, qui non se ornatos abs te bene
ficio, sed oppressos periculi onere arbitra
buntur: sed omnino nomini ac memo-
riæ

riæ tuæ? Qua in inuidia nomen tuum?
quantis in omnium gentium luctibus &
lamentis commemoratio tui uerſabitur?
Quo autem dolore ardebunt animi po=
pulorum? cum ſentient unde tutelam ſi=
bi ac ſalutem expectauerint, inde uaſti=
tatis & miſeriæ cauſam proceſſiſſe. Sa=
nè uniuerſi ſiquid incommodi euenerit,
quod ſumme Deus auerte quæſo omen
& deteſtare, cum lachrymis & gemitu di
uinæ ſeueritatis acrimoniā obteſtabun=
tur. Tu uero quocunque in loco tunc
fueris, plorantium medius fidius execra=
tiones, & procellas querelarū ferre non
poteris. Nanque ante hoſce annos, quo=
tienſcūq; barbari ad Italiam furore quo=
dam & crudelitatis ſtudio rapti ſunt, to=
tiens illis arma eorum, quos tu uiciſti, &
maritimæ Venetorum uires oppoſitæ
obſtiterunt: ut ſi horum cupiditas ſæpe
finitimis infeſta, diligētia certe nōnunq;
ſalutaris Italię fuerit. Nūc continēs impe
riū tuū ad barbaros, parua tantūmodo li

nea distinguitur: nihil inter te, atque illos intercedit mediũ, quod alicuius moræ sit aut momenti: an hoc non uides? an hoc non cogitas? quod tibi nõ solùm animo insitum: sed in oculis propemodum debet esse fixum? qui unquã longius se abesse à periculo arbitrati sunt, quàm aut Græci cum ad Ponti & Thraciæ fines à barbaris pugnaretur? aut Bulgari cum ad Græciæ? aut Pannonij cum inter Turcas & Bulgaros certamen uerteretur? Atqui propter eorum omnium negligentiam, & improbã spem propriæ salutis, alieno labore & periculo defendendæ, omnia in eandem calamitatis ruinam sunt detracta: nunc in ratione haud absimili sumus: hoc nos etiam periculo propiores, quod tunc ad remotiorem quanque gentem transitus Turcis per loca & syluis & armis impedita, ui ac manu faciendus erat: nũc una uelificatione classium: aut paucorum dierum excursu per Istriam, & Carnos equestres barbarorum copiæ ad

ad nos uidentur peruenturæ: quæ prȩser
tim uastãdi ac depopulandi studio, non
minore prope celeritate in imparatos ten
dunt, quàm paratos fugiant. Hoc loco
omnes quibus Italiæ salus, & religionis
dignitas cordi est, tuã LVDOVICE, pru-
dentiam non requirunt solùm, sed etiam
obtestantur: ut te in hanc curam & cogi-
tationem conferas. Communis fuit no-
stra tuæ felicitatis & uictoriæ gratulatio:
Tum propterea quod uirtuti tuæ faui-
mus, tum uel maxime quod te duce & re
ligionis signifero, in spem uenimus ho-
nestatem pristinam recuperãdi. Verùm
(dicam enim quod sentio, id quod uolo
in bonam partem accipi) nisi tu uera ani
mi magnitudine, & fidei, ac pietatis stu-
stio adductus, cursum hunc tuum uirtu-
tis, atq; fortunæ ad Asiam usq; pertende
ris, cœlestisq; uictoriæ trophȩa Hieroso-
lymis in illo sacro atq; edito colle consti-
tueris, nec tu regno et posteritati tuorum
satis prospexeris, & opinione ipsi, ac iu-
dicio

dicio tuę uirtutis nos deceptos conquere-
mur. Est igitur sapientiæ tuæ, cum illud
uidere, Turcas qui nunc terrore tui no-
minis, & inuicti Gallici exercitus metu,
finibus suis se continent, simulatq; te in
diuersam curam aliquã occupationem-
ue contuleris, continuo occasionem no-
bis nocendi arrepturos: tum ne id accide
re possit prouidere: armaq; ea: quæ ab il-
lis in nos & caput nostrũ impendẽt, ad-
uersus illos antè capere: ut fructus diuini
beneficij tui, non ad posteros tantũ tuos,
et regni tui stabilitatem ac tutelam, sed in
omne genus hominum gratus integerq;
perueniat. Iam imperij atq; gloriæ, si ho-
sce tuarum dimicationum fines attendi-
sti, ea uis est, eaq; natura, ut alterum tibi
dissuadẽdum non sit: alterum etiam ma-
gnopere alẽdum ac uehemẽtissime cor-
roborandum. Nam cum appetitio do-
minatus excellentibus uiris à natura ita
insita sit, ut auelli nullo modo queat, tum
gloriæ cupiditas sic cum animi magnitu
dine

dine est coniuncta, ut qui studio laudis nō ducūtur, nullam indolem uirtutis ad maximas res idoneam uideantur posse retinere: Veruntamen si amplitudo imperij te delectat, paruam'ne tibi accessionem tuarum rerum proponimus Graeciam atque Asiam? Quarum regionum altera propter nobilitatem quondam ingeniorū famamq́, sapientiae tanta etiam nunc apud doctos auctoritate est, ut maximo tibi fore ornamēto tuis finibus adiecta uideatur: Alteram ob copiā rerum omnis generis quae ad usus uitę aptae accommodataeq́ sunt, & magnitudinem uectigalium, ueteres semper Reges potentissimi'que populi uel adiungendam sibi, uel adiunctam omni studio conseruandam putauerunt. Neque enim unquam controuersia fuit, quin & cultu hominum, & frequentia ac celebritate urbium, & feracitate soli, & uectigalium copia, & abundantia earum rerum omniū, quę hominū cōmodis importari

atq;

atq; exportari solitæ sunt, omnibus terris Asia antecelleret: eadem præterea tanta amplitudine est, ut dimidium orbis terræ suis spacijs comprehendere putetur, tanta ad uincendum facilitate, ut non natiuis gentibus parata, sed inuadentibus semper fuerit exposita. Itaq; & galli antiquitus domo profecti, cum nō iustis exercitibus, sed tumultuaria quodammodo manu in eas terras peruenissent, uniuersam tamen occupauerunt: pacisq; conditionibus & legibus toti Asiæ latis: locum sibi ex uberrima copia in finibus Paphlagoniæ ad habitandum delegerūt: & rursum propinquioribus nobis seculis maiores tui clarissimi uiri, gallico exercitu in eas oras adducto, eandem Asiam detentam à Turcis atq; oppressam non minus fortiter quàm feliciter sibi & fidei nostræ recuperarunt: ut utroq; ex facto & uetus illius terrę ad resistendum Gallicis copijs imbecillitas, & præsentium hostiū ignauia demonstretur. Sunt igitur tibi ad amplificationem

plificationē imperij tui propositę Gręcia atq; Asia: quae ambae regiones si uetustatem spectes nobilissimae existunt: Si copias, opulentissimae: Si uero causam iuris tui in eas tractare uolueris, inuenies utrasq;, ut etiam diximus, proprias & tuas esse, eo utiq; iure quod optimum semper fuit, iure, inquam, uirtutis, iure religionis, iure haereditatis. Nam illud quidem nequaq; dici hoc loco potest quod ad causam uitandi laboris ab inertibus animis praetendi est solitum: satis tibi amplos regni fines, satis iustam imperij magnitudinem esse: es tu quidem omnino & regionum spacijs & copiarum opulentia maximus ac potentissimus Rex, id quod ita perspicuum est, ut in oculis omnium sit. Veruntamen celsis semper ingenijs eminentibusq; animis quantae uis opum & fortunarū accessiones, non tam cumuli ad praeteritam potentiā fuerunt, quàm gradus ad futuram: praesertim si qui ex regnis & potestatibus, non

imperium ipsum finem, opus ue impe-
randi, sed laudis et nominis celebritatem
spectauerunt. Ac si uerum sentire uolu-
mus, quod ego si recte animi tui magni-
tudinem noui, postremũ à me dictum,
primùm tibi arbitror propositum fuisse:
finis rerum gerendarum, totq; & tanta-
rum quas adijsti dimicationũ, non alius
tibi fuit quàm gloria: hæc laborum tuo-
rum solatium, hęc periculorũ incitamen
tum fuit: hæc uirtutis maximum uerissi-
mumq; præmium. Quæ quidem ni ad-
sit, ubi tandem istuc latet præclarum atq;
magnum, quod ex regnis atque imperijs
tantopere quærẽdum esse uideatur? quo
per fluctum & flammam, ut aiunt, con-
tendamus? Quid est aliud Sisipheo mo-
re saxum tollere, quâm in ijs rebus tãtum
laboris ponere, quę propter infirmitatẽ
& inconstantiam labuntur continenter
& fluunt? Quis autem non intelligat re-
gnorum conditionem cum semper in-
certam esse, tum nullo modo constitui
posse

posse sempiternam? Maxima olim et florentissima imperia quę fuerũt, nulla iam sunt, & quæ nunc stare pulcherrime uidentur, erit quando nõ erũt. Nihil enim est aut manu factum, aut hominum consilijs diligentia ue prouisum, cui non finem et exitium afferat aliquando temporis diuturnitas. Itaq; clarissimi olim reges summiq; imperatores, qui in rebus gerẽdis, non solùm animo magno, sed etiam consilio sunt uersati, cum orbem terræ uictorijs, & suarum uirtutum monumentis complessent, successionem semper imperij, ut incertam, & caducam fortunæ dimiserũt: in quam uero fortuna ius non haberet, possessionem gloriæ sibi retinuerunt. Itaq; illorum labores & opera periere, fama non interijt. Hũc eundẽ finem æternitatis, te quoq;, LVDOVICE, & uoluisse imprimis, & spectasse arbitramur, fuit enim hoc tuum: fuit sapientiæ tuæ: Nõ enim credo imperiũ ipsum nudum concupiuisti, quod ni glorię adsit iucun

 ditas,

ditas, oneri potius, & labori esse solet quam uoluptati, sed ab imperio uirtutis exercitationē & fructū laudis appetiuisti, quod cū excellentiū animorū propriū semper fuit, tum tui maximi ac præstātissimi esse debet. Huc igitur si contendisti: idque potissimum à te elaboratū est ut in posteritatis fama uersarere: Dij immortales quę occasio honoris, quanta gloriæ opportunitas, quàm aliàs inaudita, quàm nemini unquam concessa, tibi uni fato quodam diuino, & singulari, peculialiter tradita, prompta tibi sese offert atque expedita? Et enim cum illam potissimum uirtutē gloria comes sequatur, quæ ita sese exercet ac gerit, in eoque uim suā explicat, ut uniuerso generi humano cōmoda sit, & maxime salutaris, quo opere nullū neque magnificētius, nec Deo similius reperiri potest: ueteres illi ex omni antiquitatis memoria fortissimi duces, qui ad celebritatem nominis omni studio contenderūt: partim quidem quod uolebāt sunt assecuti:

cuti: partim uero maximã à proposito ue ræ laudis itinere aberrauerũt. Suas enim resp. imperio ut augerent conati sunt, id quod perfecerunt: at alienas resp. deua= starunt: at suos ciues dignitate honestaue runt: at alijs hominibus libertatem ade= merunt. Ita illorum uirtus paucis grata, pluribus incommoda & exitiabilis fuit. At uero in nouo quodã ac mirabili, & prorsus inusitato ducibus uincendi mo re, ad eos hostes debellãdos deposceris. quos si intactos relinquas, uehemẽtissi= me eis noceas: Sin autẽ eos armis et uicto ria domes: & spem illis et notitiam sempi ternæ salutis afferas: qui nisi à te læsi fue= rint, salui esse non possunt: neque ad gu= stum ueræ felicitatis, nisi ab incommodo & calamitate peruenire. Atq; illi qui nũc tibi & nomini tuo infestissimi sunt aque inimicissimi, teq; asperrime grauissimeq; oderunt, antequã ulla in re uiolati per te atq; offensi sint: ijdem si mox illos uictos atque perculsos ab imperio deturbaris:

uicq; et metu subactos de nepharia super-stitione ad pietatis cultũ adduxeris: tuũ secundum Deos nomen uenerabuntur: teq; æterna laude & beniuolentia prædi-cabunt & colent: tibi gratias agere, te sa-lutem suam appellare immortalitatemq; ueræ ac beatæ uitę, ad quam per te instru-cti, & edocti fuerint, tibi acceptam refer-re uenturis unquam tẽporibus non ces-sabunt. quod si uicti hoc in te animo fu-turi sunt, quid facient uictores? Quid uel optari in salute uel sperari in dignitate: uel in omni ratione honorũ ac commo-dorum excogitari amplũ & præclarum potest, quod non ijs qui tecum uicerint, per te sit uberrime cumulatissimeq; defe-rendum? Quanquam (mirum enim fue-rit quod dicã, attamen uerum) ipsa per te uictoria ius suum incredibili quodam modo, & conditionem solitam commu-tatura est: cuius cum ea natura sit, ut di-uersarum partium alteram lætitia & gra-tulatione compleat: alteri pernitiem affe-rat

rat & calamitatẽ, tua iſta omnibus commodis atque bonis, quæ in ſpem & cogitationem hominum cadere poſſunt, ad tuum & tuorum arbitriũ translatis, plus tamen aliquanto uictis contulerit, quàm uictoribus addiderit: Siquidem & gratius ad memoriã multo eſt, & præſtãtius ad ſalutẽ, liberari ſummo malo, ꝙ ſecundis rebus augeri. O admirabilẽ & imprimis cõmemorandam uictoriæ conditionẽ quæ cũ uictoribus ſummã gloriã dederit: tum uictis felicitatẽ eſt allatura: in qua nõ minus gloriari ipſi hoſtes deuicti calamitate ſua poterunt, ꝙ nos proſperitate: nec minus ab illis belli offenſio optãda, quàm nobis uictoria fuerit quęrenda: hi ſunt fontes ueræ gloriæ, tibi parati & in promptu, ſi penitus intrare in illos uolueris: antiquis ducibus clauſi, qui ueritatis lucem non aſpexerunt: à noſtris non animaduerſi, propterea quod pleroſque parua ambitio & iniquæ cupiditates, animusque ad ſocio-

rum iniurias paratior, quàm hostium in malas causas & detestandas cum ciuibus contentiones abstraxit. Ciues nanque omnes sunt: qui si minus eiusdem ciuitatis mœnibus, at certe quæ sanctior necessitudo est, eisdem religionis legibus coniunguntur. Atqui multos legimus, uidimus nõnullos è principibus nostris, qui cum in castris & in bellis, & in omni labore militari fortitudinem suam probarent, tamen quod fidelibus populis & Christiano nomini, id quod minime ab illis expectandum fuit, infesti immitesq́ fuerunt, nec uirtutẽ suam, nec consilium probauerunt: tantumq́ abest ut id quod tantopere quęrebant sint assecuti, ut illos à commodis uoluptatibus uitæ mors: ab omni uero laude & beniuolentia hominum, ipsorum nephariæ cupiditates, & mens seditiosis consilijs dedita abstraxerit: non enim omnis est laudanda uictoria, sed illa commemoranda, cuius initia æquitatem habuerunt, extrema religionem.

nem. Neq; tu LVDOVICE hoc etiam dum adeptus es ut tui nominis commemoratio futura ad posteros in amore & laude uideatur: paratum te quidem & armatum intelligimus ad maximas occasiones assequẽdæ gloriæ: gloriam autem ipsam nondum consecutum. Siquidem gloria est celebris & grata ad ęternitatem prædicatio, maxime alicuius uirtutis in humani generis utilitate beneficioq; uersatæ: tua uero gesta, quæ adhuc uidimus (dicam enim uere) si per se ipsa spectes, non usq; quaq; grata, si ad hunc finem sanctissimi in Turcas belli intẽta fuerũt, etiam habẽda sunt gloriosa. Sint igitur illa tibi ex maximis clarissimisq; uictorijs tanquam gradus quidam ad tanto insigniorem uictoriã facti & instituti, quanto quidem est & in inuicto duce præstantius cõmunes hostes superare quàm proprios: & in optimo rege magnificentius, publicas utilitates priores ducere quàm priuatas: cum tamen & publicis pericu-

lis propria pericula tua: & cõmodis com
munibus tuorum quoq; commodorum
ratio contineatur. Nec uero mihi procra
stinãdum uidetur esse, nec in longiorem
diem conferendum: sed occasio ipsa arri
pienda: dum recẽs est terror: dum formi-
dolosa hostibus tua uirtus & auctoritas:
dum feruens amore laudis & consuetu-
dine uincendi audax ac sibi fidens tuus
exercitus: dum denique cursus felicitatis
tuæ, & celer & secundus. An tu hostium
ipsorum rationem aliquam habendam
putas? quasi uero cum eiusmodi aduer-
sarijs res nobis sit, quos ex uetustæ socie-
tatis fœdere in aliquam cupiditatem &
iniuriam prolapsos, ad sanitatem consi-
lij reducere, potius q̃ armis ulcisci inten-
damus. Quid enim per Deos illi nónne
ij sunt qui insidijs freti et fraudibus et ma
ioribus olim tuis Asiam abstulerunt? &
tibi occupauerunt? qui nomen tuũ odijs
semper omibus atq; execrationibus dila
cerauerunt? sanctissimum uero nobilissi
mumq;

mumq; cognomē nouis perpetuo ignominiis & acerbissimis iniuriis dehonestauerunt? qui fortissimos milites tuos non solùm uulneribus & ferro: sed illusionibus & contumeliis miserum immodum mactauerunt? cum in illis tuam quoque maiestatem iugulare se, & annihilare dignitatem arbitrarētur? qui classem tuam defensoribus nudatam, non sine nominis tui macula atq; labe domum remiserunt? qui sanctā & diuinā religionem, in qua omnes spem nostræ sempiternæ salutis repositā habemus, inaudito furore & immani quadā crudelitate uexauerunt, fœdauerunt, conculcauerunt? cum interea tot iam seculis illi, tot rapinis, tot populationibus, neq; auaritiæ suæ famē explere direptione fortunarū nostrarū: nec crudelitatis sitim sanguine nostro potuerint exaturare: qui iidē, nisi per te huiuscemodi Hydra extincta, & capita serpentum recisa fuerint, annorum aliquot processu in tuos fines irrupturi sunt: teq;, uel

uel posteros tuos: uel memoriã certe nominis tui, fœdum immodum habituri, et in graue, uel salutis, uel laudis amittendæ discrimen sunt adducturi: ut præter honoris & dignitatis tuæ causam, quę in hoc præcipue cõsistit, uti tu tantus, & tanta opinione uirtutis ac fortitudinis Rex, cõmunem religionis causam suscipias, nominisq; tui et amplissimi cognominis existimationẽ inuiolatam esse uelis, maiorumq; tuorum uestigijs consectandis hęreditatem eorum, non minus gloriæ quâm imperij cernas, & in iure tuo Asiatici imperij armis repetendo, perpetuisq; iniurijs persequendis, contractam iandudum nomini tuo maculam eluas: præter inq;, hãc laudis causam & amplitudinis, quæ semper honestis mẽtibus idonea uisa est, quamobrem labores atq; pericula minime uiderentur esse fugienda, necessitas tibi quoq; illa imponatur, si incolumem regni tui statum esse uis, præripere illis nocendi occasionem, & pericula inferre

ferre potius ꝙ repellere. Atq; hæ tot et tã-
tæ causæ mihi quidem ad curam & deli-
berationem tuam inferẽdi iustissimi bel-
li, tanti ponderis uidentur, ut si in huma-
nis tantummodo rationibus insistere ue
limus, nihil quicquam sit præterea requi
rendum: quibus enim causis unquã per-
mouebuntur, qui his moti non fuerint,
quæ pertinent ad salutem, pertinent ad
dignitatẽ, pertinẽt ad securitatẽ? Verùm
nos qui semper terrenis cœlestia antetuli
mus, et unde benefactis nostris uberrima
et maxima pręmia expectamus, eò quoq;
potissimũ cõsilia & cogitationes nostras
referimus, unam religionis & gratæ in
Deum uoluntatis causam, maxime gra-
uem ac prorsus necessariam iudicãdam
arbitramur, cæteris dimissis, & præ uni-
ca pietatis ratione nullo penè in numero
ductis: nã ut nullus sit honos: nullus pe-
riculi metus: nulla laudis appetitio, ut exi
stimatio contemnatur, beniuolentia ho-
minum repudietur: iudicia gentium, tot

& tam egregia de te omnia reprehendantur: ut hæc inquã omnia prætermittantur, & quæ summa sunt fingãtur esse nulla. Illud quonam modo ferri, aut per negligentiam haberi potest? quod tu simulatq; in cœlum oculos sustuleris, & Regis illius altissimi diuinam erga te liberalitatem recognoueris, extemplo cogites necesse est, te tantis propterea ab eo esse ornatũ muneribus, ut sis ad referendam illi aliquanto illustriorem & uberiorem gratiam, non solùm uoluntate paratus, sed etiam omni armatus atq; instructus facultate. Sanè sumus omnes ab illo rerum omnium capite atq; fonte ita in naturam & in lucem editi, ut penes quenq; magnitudo diuini beneficij remunerationis locũ non habeat: sed sumus tamen dispari conditione atq; fortuna: neque omnibus par atq; idem officij munus est iniũctum: communis porrò summis ac infimis est fides: cõmunis innocẽtia, cõmune pietatis, integritatis, & continen-
tiæ

tię studiũ. Sed ad has artes atq; uirtutes in qbus sese quisq; pro uirili sua agẽdis Deo gratijs uersare debet ac exercere, ut imperia & opes, nõ necessariò requirũtur: Propterea q̃d sine ijs partes ipsæ frugalitatis & temperantiæ haberi facile possunt: Sic quibus illa etiã ultro sunt tributa, ij nõ sibi tantũ probi, sed & omnibus præterea cõmodi: nec solũ quod ad ipsorũ salutem pertineat attẽti, sed etiã in eo quod omniũ saluti opus sit, debẽt esse uigilãtes: ut quãtũ in illis diuinæ liberalitatis & beniuolentiæ redũdarit, tantũ appareat in suos ac debitos, tanq; altioris officij & pietatis gradus esse distributũ. An uero tu in memoria nõ retines, id quod ex ore tuo, atq; uerbis, in omnes terras diuulgatũ, cũctorũ tibi studia & uota cõciliauit? Cum ita asseuerares, te inter cæteras causas, qbus bellũ Venetis indicendũ putares, hac potissimũ adduci, q̃d his tanq̃ impedimẽtis è medio dimotis, unde qeto animo finitimus nemo, et suarũ rerũ trãqllo, propter

cupiditatem

cupiditatem Venetorum esse posset: & quodãmodo obijcibus ac repagulis sanctissimi in Turcas belli diffractis atq; reuulsis, liberos tibi & patentes aditus in perpetuos hostes fidei & religionis esse uelles. Quid ergo, quid actum est? num surdæ Dei uisæ sunt aures? num tibi ille ullo in loco aut periculo defuit? num benignitatẽ suam aduersum te clausit, quãtum tu quidem ad rationẽ dignitatis tuæ ausus es optare? Quid est aliud uoti dam natum esse, atq; conuictum, quàm propter quam causam quid à Dijs immorta libus postulandum duxeris, eo impetrato atq; obtento, reliquum te deinde, cuius causa priora illa flagitata sint, iã Dijs ipsis immortalibus debere? Atq; ego nõ dubito quin is, qui ex illis excelsis & peramplis cœlestis oræ regionibus, omnis suæ liberalitatis fontes tuis honoribus, et commdis effudit, ab eisdem omnia illustrantibus, atque omnia prospectantibus locis, tuam nunc mentem obseruet:

animumq;

animúq; speculetur, quemadmodum in tantis cœlestibus beneficijs ad referẽdam gratiam te gerere studeas: an tot diuinis muneribus pietas tua respõdeat: nisi forte existimamus non esse Deo nostras res curæ: id quod impium est: aut si illum rerum omnium factarum, & earum quæ fiunt faciundæ'ue sunt, auctorem confitemur, euentus tamen bellicæ uictoriæ decusq; triumphi, ab illius cura & potestate seiungimus, quæ ornamenta tanti fiunt cõsensione omniũ, ut non in cõsilijs hominũ posita, sed in quadã diuina sorte uideantur esse constituta. Quanq; uel sine ijs mihi in ipsam regalem fortunam et dignitatẽ animo intuenti, in mentem uenit existimare, neminem profecto fuisse nostri generis regem, ita cupiditatibus obsequentem suis: sic auersum à religione, & in omni uita crudelem ac nepharium, qui tacitis aliquando suis cogitationibus: aut in somnio aliquo monitus uel periculo: cum ad hanc medita-

tionem accederet, quãtis diuinitus ornamentis honorũ, & imperij affectus esset: quàm ipse ingratus in Deum, ac cœlestis beneficentię negligens fuisset: quod se in fastigio excelsę potestatis cõstituto, illius terrestre Hierosolymorum regnum seruire perfidis nationibus, pro sua parte sineret, quem ipse auctorem sui regni haberet: nemo, inquam, tam sæuus: tam impius: tam detestabilis Rex in hãc curam & cogitationem lapsus est, qui nõ exhorreret animo: non cunctis artubus contremisceret: Scilicet sedeat ipse in solio, sceptrũq; manu teneat, auro amictus & purpura: abundet opibus, circumfluat delitijs, uoluptates undiq; conquirat, quibus suas possit libidines explere: seq; et metui uelit, et ab omnibus usq; quaq; coli: cum interea ipse ille, cuius munere hęc omnia possidet, Deus summus & omnipotens, non solùm ab impijs gentibus contemptus, illusus, in contumelijs habitus: sed ueteræ etiam regno sanctæ ciuitatis, atq; adeò

adeò orbis terræ imperio, propter huiuſ-
cemodi regum negligentiam, ſpoliatus,
ne ſepulchrum quidē corporis ſui à bar-
barorum ſpurcitia inuiolatum retinue-
rit: Et is ſe regem à ſuis coli, & ſalutari uo
let, qui monumentum ſui, & omnium
Regis, fœdatum atq; pollutū pro ſe pati
non recuſat? aut ſe dignum, qui multis
gentibus imperet arbitrabitur, cum Dijs
ipſe immortalibus nolit obtēperare? aut
denique hominum merito fuerit domi-
nus, qui cupiditatum ſit ſeruus? Quod
ſi quis uel tanta importunitate naturæ
extiterit, ut cū hæc uideat ipſa, penituſq;
animo recognoſcat, rapi ſe tamen in di-
uerſa omnia, & ſalutis cogitationē præ-
ſentibus cupiditatibus ſuperari permit-
tat: uel tā duro, et peſſimis in rebus obfir
mato corde, ut in illius pectus illabi hæc
cura, & pietatis cogitatio penetrare ad
intimas ſedes animi nullo pacto queat, il
lū illū ultimus uitæ dies, & extremi illi im
minēte iā morte cruciatus, aliquāto gra-

uiores animi ꝙ corporis expectāt: cum omnia uitę cōmoda relinquēda, et ad formidolosum illud tribunal adeundū: quo iniquos reges, cætus scelerum: & horribilis comes male actæ uitæ, pœnitentia, metusq; infiniti supplicij consequetur: quo tum uultu aderit ante iudicē? aut ꝙ male miser trepidabit, qui cœlestium beneficiorum Rex dum uiueret oblitus, cupiditatum & uitiorum greges, quos in uita charissimos sodales habuit, astare circūse acerrimos atq; inimicissimos aduersarios, tanq; proditione circunuentus intuebitur? hiscere medius fidius prę metu, et in terrorem diuinæ seueritatis attollere oculos non audebit, quod si huc in tantam pœnæ ultionisq; formidinem rei citantur reges, qui nomen tantum regale, nudamq; cæteris ornatibus regiā ipsam potestatem tenuerunt: quid existimandū est, maximis præterea accessionibus adiunctis auctoritatis, felicitatis, uictoriæ? Quo tibi, Ludouice, uehemēter contendendum

tendendum est, ut cum alijs in partibus & muneribus uitæ constantiam perpetuo, & æquitatem & clemētiam, & optimi regis uirtutes, reliquasq; rationes recte, & ordine administrãdi imperij seruaueris, hac quoque in causa religionis defendendæ, gratum te Deo præstes. Cæteræ enim uirtutes suas habent unaquæq; singularesq; laudes, pietatis autem gloria complectitur uniuersas: & omnem in se continet humanam dignitatem, quod spectat ad diuinam: ut tibi in salute Christianæ reip. constituenda maxime sit elaborandum, ne qnod in te facultatis & potentiæ redundat, suis partibus officij uacare uideatur. Nam quid ego dicam de occasione? quæ tanta est, ut si nuncius aliquis delapsus è cœlo mandatum tibi cœleste attulisset capessendæ huius expeditionis belliq; in barbaros commouendi, non signis certioribus, atq; adeò clariore uoce non uteretur, quàm hæc est tam paratæ opportunitatis uox quasi imperan-

tis Dei appellatio: uelle sese in hanc amplianda religionis curam te totum discedere, cũ tuos ipse scrupulos omnes ex animo tibi extraxerit: omnes suspiciones: omnes discordias: omnes finitimorum regũ inimicitias, quę tibi cũ illis acerrimè intercedebãt, sedauerit: omniaq́ ad pacẽ & ad concordiã traduxerit: te non solùm tranquillo ex omni obtrectatione domestica, sed firmissimis insuper pręsidijs finitimorũ munito. An tu in hac ipsa re noua medius fidius ac mirabili, imperium Dei immortalis non exaudisti? aut prouidentiam non intellexisti? Quid enim unquam tam alienum ab omniũ spe & expectatione fuit, quàm tot potentissimos inimicissimosq́ inter se Reges, ueteres et diuturnis odijs exacerbatas simultates deponere? deposuerunt: amicitiam etiam coire & societatẽ? coierunt: in commune consilia & rationes conferre? contulerunt. Quid tam incredibile, quàm quas iniurias ulcisci multi non cupiebant

bant solùm, uerum etiam sperabant eas derepente & nouis fœderibus, & liberalitati suæ remisisse: ita remiserunt, ut eędem illæ iniuriæ causam cõiunctiori necessitudini dedisse uideantur. Quid uerò tam uel ipso rei exitu nouum, uel celeritate inauditũ, quàm tot disiunctos animos, tam infestas inter se, dissentientesq́ uoluntates, ita subito ad unitatem reconciliatas fuisse, ut prius penè transactum audiretur q̃ tractatum: sunt hæc omnia, quanquam diligentia hominum administrata, tamẽ per prouidẽtiam Deorum cõstituta. quod si ante actis temporibus, qui laborem huius sanctæ & memorabilis pro Deo & religione militiæ detrectabant, hac una causa inertiam suam tegere nitebamur, quod odijs ac simultatibus finitimorum circumfusi, liberam non haberẽt bene de rep. cogitandi facultatem: profecto qui hanc causam, tanquam impietatis & negligentiæ latebram remouerũt, id poscere aperte Dij immortales, &

flagitare uidentur, quod quo minus an-
tea fieret ea una causa allegabatur impe-
dimento: nõ enim impediẽt iam qui an-
tea impedire fortassis fuerant parati, sed
etiam ultro ac studiosissime adiuuabũt.
Atque huius rei effectum iam cognosci-
mus. Sentio enim ego ab ultimis terra-
rum finibus clarissimum regẽ ita in hanc
curã sanctæ expeditionis, animo & de-
siderio intentum, ut apparationem bel-
li quotidianis pene literis & nuncijs ur-
gere non desinat, ut uirtutis laudem nul
lam putet, nisi in qua se Deo & religio-
ni exercuerit: quod enim aliquot iã bel-
la in fidei salutem cõfecit: nonnullas pro-
uincias ad Christianã remp. adiũxit: gu-
stu ueræ beatitudinis semel percepto, in-
ducias eius honestissimæ cupiditatis nul
las habere potest. Ego te ad eandẽ indu
striã & pietatem adhortor & uoco, cum
Deorum beneficio, florẽtibus fortunis
tuis, nihil circũcirca sit quod suspectum
habeas. Hic ego regẽ neminem nomina
bo

bo nisi Cęsarē: qui tibi et locis proximus, & in hanc expeditionem maxime potest esse utilis. Is fortissimus Rex & summus imperator, qui tecum ex maximis inimicitijs, in gratiam ita reconciliatus est, ut non maiores antea dissensionum causæ fuerint, quàm nunc amoris & necessitudinis sint: nec pluribus iamdudum suspitionibus animi abalienati, quàm hoc tēpore beneficijs sint cōglutinati: communicare tecum in hac laude pręstantissimi facti uolet, nedum ut te ulla ex parte conetur impedire: cuius tibi beniuolentia & coniunctio, ut summo consilio quæsita est, sic constanter est retinenda. Nihil enim nec gratius Deo, nec ad animi fructum & tranquillitatem, hominumq; famam efficacius, quàm cum in magno rege, & animi facultates quærantur & consilij, esseq; is debeat non minus lenitate, quàm uirtute spectandus, mansuetudinē aduersum eos qui legibus & religione cōiuncti sunt exercere, uirtutis autem

& potentiæ exercitationẽ inter ipsos hostes religionis quærere: Nec uerò absunt huic occasioni cæteræ, quæ ad comparandos retinẽdosq́ exercitus copiæ sunt opportunæ: de quibus disputarem equidem subtilius, nisi tibi totam eius rei descriptionem explicatam esse cõsiderem: nunc tantum id dicam: cum omnis conficiendi & alendi exercitus ratio, & genere ipso militum constet, & facultate stipendiorum: alteram partem quæ plus habere uideatur difficultatis, quæ in ærario & pecunia posita est, largiter tibi & à uectigalibus tuis, quæ & pro amplitudine imperij maxima semper sunt: & pro ratione belli tum fient uberiora, & decumis sacerdotiorũ binis etiam, ternis ue, prout tempus ipsum postulabit: uoluntarijsq́ præterea ciuitatum priuatorumq́ collationibus suppeditaturã: nam cum hoc fuerit egregium ciuitatibus publice tali casu, et apparatione sanctissimi belli, communem ciuium, et in Deum immortalem

talem animũ, & in suum regẽ beniuolen tiam declarare: tum nemo erit tam auaro ingenio priuatus, modo bona ad religio nẽ mente sit prędítus, qui familiaris opes & facultates suas, potius suis commodis condere, q̃ in fidei & salutis subsidiũ ma lit depromere. Quod uero ad milites ex= ercitusq; pertinet: sunt tibi uictrices tuæ legiones robustissimorum peditum, quę auspicijs tuis exercitatæ prælijsq; assuefa ctæ, eundem semper euẽtum & pugnæ, & uictoriæ cognouerũt: neq; sciũt quid sit aliud conferre signa, nisi uincere. sunt alæ frequentes nobilissimorũ equitũ, qui perpetuis stipendijs tuis sacramento obli gati, uirtute perficiunt, ut tua in illis reti= nendis liberalitas & prudentia commen detur: erit eo tempore numerus non me diocris euocatorum: ut enim quis ani= mo & nobilitate præstabit, sic ad impe= rium tuum tibi erit pręstò: iubẽtisq; au= ctoritatem uoluntate præcurret: atq; ad has militares copias tui inuictissimi exer

citus,

citus, quas Turcæ ipsi & barbari, quo pacto sustinere uel intuẽdo possint, ne adhuc quidem comminisci rationẽ ullam queunt: accedet tibi cum summa facultas delectuum habendorum, supplementiq́ instituẽdi, ex strenuissimis maximeq́ gnauis ad prælia Gallicis nationibus: tũ externa quoq́ & gratuita auxilia conuenient fortissimorum uirorum: qui quidem complures numero, uirtute & genere præcellẽtes, iamdudũ in speculis sunt, animoq́ cupidissimo contẽplantur, ecquis alicunde extet qui huiusce belli classicum aliquando canet: ecquis magnus Rex et imperator patrocinium salutis publicæ & religionis causam suscipiat: cupiunt enim eam uitam, quam mors suspectam perpetuo & meticulosam facit, opesq́ diuino sibi beneficio datas, ac donatas impendere in utilitatem reip. qui quod & frequentes sunt, & fortitudine præstant, non solùm numero cohortes tuas, sed etiam uirtute uictorias adaugebunt:

bũt: uel enim certo mortis periculo pro=
posito parati sunt animo libentissimo do
nare religioni, q̃d omnino debẽt neces=
sitati: quod si locus in tuis castris omnes
capere uoluntarios milites posset, crede
mihi Ludouice, id quod tamẽ uides ipse,
non tu multitudinem & copiam, sed mo
dum quærẽdo laborares: approperarent
enim omnes undiq;, qui aliquam animi
& uirtutis possessionem retinerent: nemi
nem liberorum charitas, neminem do=
mesticum ocium, neminẽ priuata præ=
dia, neminem uiæ difficultas & labor à
tam præclaro studio retardaret. Etenim
quis unq; uotis, ac desiderio illuc perue=
niendi suspexit in cœlum? aut quem cu=
piditas pulcherrimæ laudis assequendæ
extimulauit? Quis deniq; summi Dei in
nostrum genus merita, aduentum in ter
ras, ortum, obitumq; hominis facti, labo
res, sollicitudinesq; nostræ salutis causa
susceptas, grata & pia cogitatione recor=
datus est? Quin hac tali opportunitate
oblata,

oblata, occasionem sit arrepturus, & gratiæ Dijs immortalibus referendæ, & nominis perpetuandi, & cœli adipiscendi: Ac illud quoq; manifestum, ad hostium loca perueniendi duplicem tibi itineris rationem esse propositam: Siue enim terra exercitum ducere institueris, tuto tibi id facere amicissimis Germaniæ ac Pannoniæ regibus licebit. Sed erit longitudo eiusmodi uiæ propter difficultates terrestres, aliquanto fortasse laboriosior: siue classe duxeris transmittendum, id quod probari à peritis & prudentibus uideo, præsertim cum & maritimæ opes tuę dominentur, & hæc quoq; ad belli gerendi opportunitatē naualis tota ratio necessaria sit, promptum tibi fuerit quodcunq; ad littus appellere uolueris, eo in littore castris locū munire: exploratisq; hostiū consilijs decernere: Vnde potissimū exordiri bellum placeat: & quamprimum in partem uirtutis tuæ impetus immitti. Quæ tibi deliberatio, tutis à tergo & pla-

catis

catis omnibus ob fœdus & amicitiã con iunctissimorum Regum: aut si qui nũc populi tibi sunt offensiores, ijs tum aut uirtute tua perditis: aut clementia conser uatis, et ad beniuolentiam traductis: hoc etiam erit procliuior, quod ne suspican= dum quidẽ est, hostes ipsos terra, mari'= ue suas tibi acies esse opposituros: quod enim copijs parum ad præliandum ido= neis, minime autem animi uirtute ualẽt: Iccirco nec imperium: nec salutis euen= tum suę in ancipitem prælij fortunã sunt commissuri: quod ego tibi, & militibus tuis fortissimis uiris molestum fore puto. Virtutis enim proprium est, & fortitudi nis, eam appetere uictoriam, nõ quæ per hostium ignauiam oblata, sed quæ labo re uideatur esse parta. Veruntamen bar= bari, non signis conferendis, sed itineri= bus tuis insidiandis: subitisq; terroribus ostentandis: Eandem uiam & periculi tui, & salutis suæ tentare aggredientur. Quorum tu fraudes, prudẽtia tua, incur= sus

sus cōstātia refutabis. Qui uero nodus in omni peregrina militia rei frumentariæ, & reliquorum cōmeatuum, uel difficillimus uidetur esse, eū tibi partim Græciæ & Thraciæ populi expediēt, qui imbutis christiana religione animis, omnes tibi futuri sunt præstò. Partem uero maximā suppeditante Italia: prouincijs suum ministrantibus, classe tua fortissima atq; instructissima legēte semper oras propinqui littoris, exercitusq; tui uestigia obseruāte, omnium rerum copia in tuis castris constabit. Quid dicam de sublationibus ciuitatum in eis regionibus, seditionibusq; populorum? qui aura propinquæ libertatis à tuo exercitu eis afflante, ibunt ad arma profecto contra eos quorum nepharium dominatū tot iam annis perferre sunt subacti: ut Turcis consistendi nusquā locus, facultasq; respirandi libera nulla futura sit. Vnam illis rationem resistendi in obsidionibus perferendis uideo esse reliquam, si neq; signa conferre,

ferre, remq́ꝫ fortunę permittere audebũt, quod propè exploratum nobis est: neq́ꝫ insidijs tendendis, cõmeatibusq́ꝫ intercludendis quicq́ꝫ proficient: quod nos cum ad prudentiam cõsilij tui respicimus, penitus uereri desinimus. Verũ in hac ipsa re quanta illos incommoda consecutura sint animaduerte: primùm animos ipsi suos demittẽt, nostros exaugebũt: Deinde genus latississime uagari solitum, qua una in re tota eorum uirtus & disciplina militiæ constat, inclusum muris & penè constrictum, ne insolitam quidem pugnandi rationem conabitur exercere: postremo ut & uelint ipsi, & audeant insistere in mœnibus munitionesq́ꝫ tueri, cũ paucissima habẽt loca manu munita, in quibus spem salutis suæ si constituerint, de reliquis profecto desperasse intelligentur: tum ne ipsa quidem illa tuorum militum uirtutem, uimq́ꝫ tormentorum sustinere sunt idonea. Vna est urbs Constantinopolis, quæ propter amplitudi-

 nem

nem ciuitatis, mœniumq́ & loci situm, multitudineq́ propugnatorũ, aliquantum moræ & difficultatis uideatur habitura: Si animus uidelicet barbaris ad resistendũ suppeditauerit. Hic tibi, inquã, fortassis quid tuæ possint imperatoriæ uirtutes fuerit experiũdum, & id tamen tuus animi ardor, tuorum militum fortitudo postulatura est. Sed ego quid planè uelim satis constitutũ non habeo: optem tibi leuem eius urbis expugnationem? nimium hostibus tribuere, & tuæ uirtuti non planè uidebor confidere: difficilem cupiam esse & laboriosam? tuæ uirtutis laudem illustriorem optauero, at salutis communis cursum retardauero. Tamen si ex ueritate res, nõ ex fortissimorum uirorum & cupiditate pugnæ flagrantium desiderio iudicanda est, ne eius quidem urbis oppositus celeritatem uictoriæ tuæ remoraturus est. Nam cum milites illiusmodi ex illo equestri et fugaci pugnãdi genere, minime defendendis mœnibus

bus sunt apti, tum crebris transfugijs Ducum, qui uel pristinæ religionis stimulo, uel præsentis periculi metu adducti, extremam belli fortunam non expectauerint, & amissione omnium rerum debilitatis remanentium animis, nec uires barbaris, nec consilia constabunt. Adde terrores intestinos Christianorum ciuium: quorum urbs refertissima est, omnia ad seditionem & tumultũ uocantiũ. Adde uehementissimam impressionẽ ingruentis extrà exercitus tui, quæ diuina ope & uirtute incitata, uiam sibi latissime perruptura est: quandoquidem etiam non dubitamus Deum omnipotentẽ, astantem in illo sanctissimi laboris opere, & fauentem suis tonitribus de cœlo, si opus fuerit & frequẽte fulminũ iactu in illorũ ora uultusq́; qui adesse in mœnibus defendẽdi causa instituerint, tormentorũ tuorum ruinas accumulaturum. Etenim si Hispaniẽsibus bellis quę aduersus Mauros ꝓ religione gesta sunt, & in illis Belgradi ac

Rhodię ciuitatis oppugnationibus prę-
sens Dei numē affuit semper, uictoriāq;
nostris concessit & adoreā, nū uerendū
est ut nō adsit in illo amplissimo labore &
certamine, in quo summa religio & coele
stis reip. dignitas uersatura est: Igitur Bi-
zantio recepta, & hoc obiice reuulso ac
deiecto, reliquus iā tibi nō ad uincendū
labor, sed ad peragrandum Asiam cur-
sus superfuerit. Quæ quidem prouincia
non arma tibi & aduersos exercitus, sed
pompas & celebritates, & festiuos dies
aduentus tui latura obuiā est. In quo tuæ
iam sapientię est, cogitatione antecapere
illius temporis, quam fore tibi gloriam
et gratulationē putes. Nam si ex hac re-
cēti uictoria, qua Veneti imperio per te
& uetere fortuna euersi sunt, tantum hi-
laritatis & lætitiæ ad animum tuum per-
uenire sensisti, ut tibi pulcherrimus ille
dies: & totius uitæ fortunatissimus sit ui-
sus, in quo iure imperij tui armis uendi-
cato fortitudinis & felicitatis laudem ali-
quam

quam meruisti, pietatis nullã: Quid tuæ spei propositum esse debet ab illa uictoria, quæ tibi orbis terræ imperium, & gratulationes omnium gentiũ collatura est: in qua uirtus tibi tua, ueraq́ animi magnitudo & felix conscientia auctæ restitutæq́ religionis: Deus deniq́ omnipotẽs & summus gratulabitur: Huc igitur te, huc inquam te, cum & dignitas tua, et optimi Regis munus deposcat cognomenq́ Christianissimi, cum omniũ gentium desideria atq́ uota, cum iniuriæ hostium ueteres & acerbæ, cum salutis securitatisq́ ratio, cum ius, cũ æquitas: cum maiorum uirtutes: facta, exempla: cum imperij amplitudo: laudisq́ splendor & gloriæ: cum imbecillitas hostium: robur tuorum exercituum, occasio temporũ: opportunitas omnium rerum ad orbis terræ regnũ tibi & sanctissimæ fidei subiungendum te uocet, cum deniq́ Deus ipse immortalis signis, indicijs, uictorijs, imperio propemodum & uoce, tuam

ad hoc bellum uirtutem uolũtatemq́ requirat. Tu quid'nã afferre causæ in hac cura subterfugienda, & tanto Deorũ hominũq́ consensu repudiãdo, in qua tandem latêre excusatione queas? An quod liberos nõ habes? (Sic enim iactari interdum audio,) qui si adessent, impedimento tibi potius quàm incitamento essent: patria enim indulgentia & charitate uictus, perdifficiliter à tuorum liberorum conspectu & complexu diuellerere: nũc hæres tibi quidem non deest imperij: nominis autem tui & uirtutis hæredem posteritatis memoriam repudiare: non est profecto sapientiæ tuæ. An te itinerum difficultates, & tenuitas ualitudinis tuæ deterret? quasi uero aut tibi tãto Regi parum commoda leuandi laboris ratio, & fatigatio uiæ ualde molesta esse possit: aut cum perspicuum sit infirmitatem humani corporis fortuitis semper casibus & periculis obnoxiam esse, non magnæ uirtutis sit singularisq́ prudentiæ in ijs

potissimum

potiſſimũ rebus eam exercere, quæ cum morte longiſſime fugãt, tum uero accerſunt & pariũt immortalitatẽ. Nam ſi te, id quod tamẽ in magno Rege ſimile ueri non eſt, tanquam perfunctũ rebus ampliſſimis laboribusque maximis: domus iam ipſa: aſpectusque tuorũ: et ociũ reliquę ætatis: pax: quies: trãquillitasque delectat: eisque iucũditatibus, quæ tibi in regno tuo ſuppetũt, cogitas eſſe contẽtus. Primùm nec expectationi noſtræ cumulatè, nec tuæ laudi ſatis adhuc feciſti. ut enim ſæpe iam diximus, uirtus tua priuatas hactenus utilitates perſecuta eſt, nondũ attigit publicas: eſt autẽ ſummæ uirtutis, uereque animi magnitudinis, nõ tantũ quæ propria ſunt attẽdere, ſed in cõmune potius cõſulere. Deinde hæc fruendarũ uoluptatum meditatio, à nomine, & laude optimi regis abhorret: non fructus eſt imperij uoluptatum cõquiſitio, nõ ocij deſidia: non inertiæ ſtudiũ: non uacatio operæ & ceſſatio: Sed labor: ſed ſplẽdor: ſed publicæ

 ſalutis

ſalutis cura: ſed exercitatio uirtutis cul-
tusq́ religionis. Ac eiuſmodi quidē uo-
luptates: quæ per quietē & inertiam ſub-
ijciūtur, fallaces penitus ementitęq́ ſunt:
quibus dolor comes eſt: quas ſubitum fa
ſtidium corrumpit: quæ breuem habent
ſuauitatem, perpetuam pœnitētiam. Vir
tutis autem & pietatis fructus ſempiter-
nus. Quod ſi noluptatis ſtudio tantope-
re duceris, num tu maiorem eius ipſius
uſum ulla ex re percipi putas poſſe, q̃ ex
uirtutis operibus, & defenſione religio-
nis? Etenim attende, attende Ludouice:
percipe animo ueræ uoluptatis guſtum:
quam tibi non mortalis ulla oblectatio,
ſed inſtar ſempiternæ in cœlo beatitudi-
nis is dies expreſſerit, quum tu tantis re-
gionū ſpatijs terra mariq́ emēſis, tot ur-
bibus & gentibus in fidem receptis, orbe
terræ ad imperium tuum adiuncto, im-
mortalitate cōparata, rebus ijs geſtis quas
laudare pro dignitate poterit unquā ne-
mo, imitari ne ſperabit quidē maximus
omnium

omnium Rex: qui ſint, fuerint, futuri ue ſint, in finibus ipſis ſanctæ ciuitatis ueſtigia impones, eminentiaq́ procul tecta & Hieroſolymorũ turres aſpicies. Quæ tibi tum diuinæ ſpecies occurrent fidei cœleſtis qua conſeruati ſumus, quaſi incunabula ipſa intuenti? q̃ omnes præteriti labores pro nihilo in contentione tantæ iucunditatis æſtimabuntur? Milites porrò tui, quibus tum clamoribus per uniuerſum agmen ſublatis Hieruſalem ſalutaturi, quo fletu excitato Vrbem ſanctam ſunt adoraturi? Conflagrabũt ſtudijs. Vrgebunt ſigniferos, inferent gradum: Sua quenq́ pietas, ſuus ardor ſtimulabit. Nihil illis longius uidebitur, q̃ dum in illis religioſiſſimis tẽplis ſanctiſſimisq́ delubris corpora ſternere, & exoptatis amplexibus, iucundiſſimisq́ lachrymis ſatiare conceptam religionẽ animi ſui poſſint. Tu uero inter militares illas conclamationes, & gratulantium inter ſe gaudentiumq́ lachrymas, inflexo

ad sensum pietatis animo, inaudita quadam alacritate, & pio religionis horrore perfundere. Quid quũ circumfusus corona procerum, regaliq; habitu insignis & equo, ad portas & mœnia Hierosolymorum conspicuus accedes? Crucemq; manu inferes? Crucem, quam nunc gementes & prostrati suppliciter deprecamur, ut tibi uolũtatem huius belli uictoriamq; contribuat, tunc parto iam triumpho ouantes adorabimus: Crucem inq;, quæ quondam humano generi salutem peperit, tunc ipsa uicissim per te seruata uidebitur. O felicem & semper commemorandum illum diem, quem qui præsentes oculis hauserint, Deorum uitam fuerint consecuti: O iucunditatem non antea cognitam: O gratulationem non enarrandam. Quis enim tanto ingenio, tanta aloquẽtia, qui explicare uerbis, atque adeo cõplecti cogitatione queat celebritatem spectaculi illius, quum tu armatus & uictor, nondum absterso itineris

ris puluere & sudore: neque enim ardor tuæ cupiditatis siuerit, ante sanctissimũ Domini nostri sepulchrũ prostratus, & humi hærens, amplectendo, exosculando, pios gemitus edẽdo expleri nequiueris: tanto maior et excelsior Rex, quanto te summo illo Rege minorẽ profitebere. Quod tuum tunc erit gaudiũ? quæ communis omniũ lætícia? quantus & quàm incredibilis fluxus lachrymarum? quum infinitũ amorem & beniuolentiam erga te, uimq; illam summi gaudij animi hominum capere non poterunt. En cur nos reges esse optare debeamus: & cur fortunæ nonnihil deferendum putemus: non uti falsas uoluptates consectando, quæramus libidini prædam & cupiditati, sed ut ad potentiam & copias magnitudine animi pietateq; adiuncta: hos fructus ueræ iucunditatis: hæc præmia æternitatis, uigilando pro communi salute & religione laborando, alte semper spectando consequamur. Nam cæteræ quidem

quæ

quæ temerarijs opinionibus aluntur humanæ ſpes & ſollicitudines, plenæ ſomnij & umbrarum ſimillimę ſunt: una extat religionis procuratio quę ad immortalitatem adipiſcendam ueritate expreſſa eſt. Atque ego qui natus in fortuna tenui, & in his temporibus uerſatus uirtuti infeſtis, nec opis in me aliquid, nec in mea auctoritate præſidij doleo eſſe reip. & eo etiã magis, quod ita meæ fidei ſanctiſſimæ amore ardeo, quæ mihi ſalutem dedit, ut libẽter gladijs uitam obtulerim, ſi meo ſanguine redintegrari uetus dignitas religionis queat, omnibus qui aliquo in numero eſſe uolũt, uel à fortuna locati, uel per induſtriã cõſtituti, in hoc ipſo munere iuuandę religionis magnopere ſuadeo eſſe elaborandũ. Nõ ſumus ad ociũ facti: nec ad deſidiã: nec nobis curriculum huius uitæ ſolutum à metu & cura eſt. Sed omnibus dies dicenda eſt ab illo naturæ rege: quẽ qui indulgentiſſimum parentem non agnoſcunt, ſęuerum iudi

cem experientur: nec idem tamen postulatur ab omnibus, facultatum gradus distincti sunt, operæ esse debent: ut tamen ab inæqualibus fortunis, æquam unusquisq; uoluntatem in cõmunionem publicæ utilitatis conferat. Ac si ingenium & literę affuerint, cohortando: Si auctoritas, admonẽdo: si uis, exequẽdo: omnibus hic præclarissimus labor christianæ reip. nauandus est, ut propter quem ipsi honesti sumus præpotentis Dei honorem potissimum habeamus. Quamobrem cum hæc ita se habeant, Ludouice: cũ uirtutis laus: officij ratio, pietatis meritum constare tibi melius nusq; possit, q̃ in communis salutis patrocinio & tutela religionis: respice aliquando ad te: & ad facultates tuas uirtutesq; animi tui, ad omnium nationũ desideria accõmoda: Recognosce qui sis: unde ortus: in qua fortuna positus: quid à te præstari reip. quam gratiã Deo referri conueniat. Plane uidemus omnes tantis te affluere for-

tunæ

tunæ ornamentis, quãta nullum adhuc regem ab antiquitatis seculis circumsteterunt. Sed illud quoq; intelligimus, nihil in eis re ipsa præclarum esse atq; magnũ, nisi iudicium & sapiẽtiam dispensantis. quis autem ad res perpendendas rectum consilium adhibens, uagam & inconstantem semper, uolucremq́; fortunã nõ laboret nectere eis uinculis quæ æterna sint? quiq; nõ malit his tanquàm exterioribus adminiculis nixus, tendere ad immortalitatem quàm auctoritatis peculium quodammodo & potẽtiæ in breuissimos usus mortalis uitæ consumere? An non animaduertis, quos adhuc beniuolentia nostra celebramus clarissimos illos ueteris memoriæ duces, nequaquam tantis ab radicibus quantis tu niteris, ad orbem tamẽ terræ suis uictorijs illustrandum sola cupidine gloriæ fuisse excitatos? Iulios. Pompeios: Scipiones: Traianos: qui cum nequaquam parẽ tibi causam secuti fuerint: neque ad cœlestem finem

nem aſpirauerint: Tu tanto nobiliore & fini, & cauſa non illis par omni uirtute fueris? Tu tam præclarā occaſionē non agnoſces? Tu omnium gentium iudicia refelles? Te tua & tuorum ſalus: Te conſcientia intimæ uoluntatis: Te ipſa obteſtatio laborātis reip. Te tui nominis ſempiterna prædicatio ad chriſtianū genus in libertatem priſtinam aſſerendum non uocabit? Minime: minime: non id eſſet magni ducis: non Chriſtianiſſimi regis. Quin excute tandem aliquando temetipſum. Magnitudinem animi tui excita. Exurge in hāc excelſam laudem: Ad immortalitatem cōtento curſu nitere: Deo immortali obtempera: Amplectere orbem terræ imperio: Cœlum animo: Aeternitatē gloria. Humanum genus beneficio: ut nos, & qui poſt nos futuri ſunt, qui'que in longa poſteritate inerunt, uirtutis tuæ merito honeſtati, laboribusq́; cōſeruati, perpetuam noſtram ſalutem, & dignitatem tuæ ſemper laudi & memoriæ

moriæ acceptã referamus: Tu uero quã=
tum terrarum ſpacij ad imperium tuum
adieceris, tantũdem tibi ad fruen=
dam immortalitatem loci in
cœlo compares.

FINIS.

AD PRINCIPES ET CHRISTIANOS OMNES, VT RHOdiorum atq; aliorum qui à Turca deuaſtantur Chriſtianorum afflictionibus *ſuccurratur*, OTHONIS BRVNFELSII *docta, & charitatis plena* ORATIO.

INTER tam multa negotia de regno, de bellis, de ditione acquirenda & retinenda, de respubl. Chriſtiana, eſt'ne uel momentum quoddam ô Principes & uiri Chriſtiani, quod mihi concedatur cauſam afflictorū agenti, propter imperium & rempubl. Chriſtianam? Video ſiquidem huc totos pendere uos, ut priuata agatis, et (ut fit) in trā quillis rebus prorſus nihil compatiamini ſuper contritione Ioſeph. Sed faceſſant

obſecro hæc, ceſſet pauliſper φιλαυτία. Nunc me querentẽ audiatis, immo per me lugentes & gementes Rhodios, quorum ad reſtim redierũt penè omnes ſpes, omnia præſidia, inuicti animi, deniq; tota illa fiducia, qua ænea ſemper, ac ferrea fronte crudelibus Turcis repugnauerũt: quibus ſi nõ quàmocyſſime à uobis ſubueniatur, de eorum actum eſt ſalute, & de ueſtra quoq; cõclamatum eſt pub. re Chriſtiana. Certè afflictorũ cauſæ, quibusq; ſerijs anteferendæ ſunt: adhoc etiã anguſtia tãta eſt, ut diſſimulari nequeat, atq; ſi diſſimuletur diutius, inde omnes incommodum ſentiamus oportet, quotquot Chriſti nomine cẽſemur. Vt igitur res eſt maximè ſeria, ita ſtudiũ mihi erit, ut quàm pauciſſimis, citra fucũ & lenocinia èxponam uobis. Et quia dignitas & fides, & utilitas omnium communis agitur, ceſſo hic multa uobis prędigia offundere, in beneuolentiæ captatione. Iamdudum enim negotia, periculaq; ipſa rerum

rum communia sunt, & cõsilijs uos con ciliant pericula, ut non minus ipsi uobis consultoris beneuolẽtiam exposcatis, quàm illa mihi sit à uobis efflagitãda. Sat igitur fuerit causam exposuisse, ut uos deinde tam desponsis & desperatis rebus cõsulatis. Non me fugit certè, quàm in multorum ore celebratum sit hodie, cõtra Turcam pugnandum non esse, cum abundè multi sint nullibi non locorum nobis obuiam ex ea fece & colluuie, quos Christianos Turcas uocãt. Ego mihi à nominibus tẽpero, ne ullius inuidiam mihi parem. Quorum opinionem ut, nõ improbo, ita si ego persuadeam, saltẽ reliquas prouincias tutandas esse, ne in uniuersum nos deuoret Turca: rem feci, opinor, Christianam ac piam. De impetitione quidem, qua ipsi bellum tyranno indiximus, quàm nihil habuerimus prosperũ, nostro didicimus malo: quẽ casum, siue fortunæ debeamus, uel Deo, sensimus certè cœlũ, terrã, mare, & omnes superos

nobis iratos. Hoc non ſucceſſit, quia noſtrum erat bellum, quibus pro imperio bellare fortaſſe non licet. Igitur tentanda uia eſt: ne ipſi ſimus autores belli, & tamen triumphemus de Tyranno, & bellum ipſum illicitum cenſeri non poſſit. Hoc erit, ſi quod reliquũ eſt Chriſtiani orbis, non ſinamus conuelli atq; prædari. Nam de amiſſis iam regnis, ut aliquid recuperemus, neſcio an cogitari quidem debeat, tantum abeſt, ut ipſe ad hoc ſuadeã. Triumphũ referre poſſumus etiam, ſi parta iam propugnemus: atque miror an non maior laus ſit ſemel adeptum regnum cõſeruare, quàm reſtaurare amiſſum. Res egregias aliquoties, ut difficilius, ita pulchrius eſt conſeruaſſe, quàm condidiſſe. Sunt autem hæc, quæ ad repugnandum animare uos debent: in primis religio: deinde ſeruitus, malorum omniũ extremũ: poſtremò patriæ amor. Quod enim apud uos ſummum ac maximum eſt, hic potiſſimum in diſcrimen

uenit:

uenit, nempe religio & pietas: denique quicqd usq; est mysteriorũ, in procinctu est ut prophanetur. Neq; est quod sinatis hic imponi uobis, quasi potentatũ quærat solùm, non sacra nostra ut contemnat. Potentiã quærit, ut potentiã euangelij extinguat: promittit, ut fallat: fallit, ut occidat. Scitis enim quàm nullos permittit apud suos coire cœtus, & populi conciones, ad conferendum de fide & Christianismo. Nouit quod non sit alia uia, qua possit eliminare Christianam fidem, quàm si extinxerit uerbum: quo autem alio Christiani sumus, quàm per fidem & uerbum? Si hoc tollas, quid aliud tandem Christiani sumus, quàm Turcæ? Et tamen hic quidam obganniunt, liberam esse sub Turca fidem, nihil expendentes quid de posteris seculis futurum sit de Christiana fide. Si igitur uerè Christiani estis, quid ipsa religio hic poscat, uidete: poscit autem charitatem, quæ religionis nostræ unicus est scopus: ut enim

omnia euertamus ſacrorum uolumina, nihil inuenimus nobis commendatum magis, quàm charitatem: ut hanc etiam multis ſacrificijs prętulerit Chriſtus. Hęc autem cum etiam inimicis impertienda eſt, tum maximè eſt exhibenda fratribus adflictis. Apoſtoli quondam ubi fames ingruiſſet in Iudęa, tempore Claudij, cō=tributa pecunia, fratribus miſerunt, ne inedia cōſumerentur. Et apoſtolus Pau=lus, nō tam uerbi rationem habet, quàm afflictorum & pauperum. Sic prædicat Chriſtum, ut interim ſemper inculcet pe nuriam uiduarum, egenorum & proſcri ptorum: atque quanta hoc diligentia fa=ciat, teſtātur ambæ ad Corinthios epiſto læ. Huius itaqꝫ tam laudati officij conue nit uos meminiſſe. Sed fortaſſe hic occla mabit aliquis, iamdudum ſubijſſe hoc onus Rhodienſes, indeqꝫ tantis ab Pon tificibus & Imperatoribus præmijs dota tos eſſe ut pugnent: id eſt quod dicimus, ne inuictos ſemper luctatores nunc ue=

luti

luti ex ſublimi deſpicientes ſinamus ob=
truncari. Scitis quàm minaces, quamq́ꝫ
pugnaces geſſerint hactenus erga Tur=
cas ſe annis ducentis, ut nulli Principi,
tam facilè fuerit tutari ſuum regnum, q̃ꝫ
Rhodienſes totius Aſiæ reſiſtere tyran=
no: ſed non omnes Iouis taxilli feliciter
ſemper cadunt, καὶ ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέ
ρη, καὶ ἄλλοτε μήτηρ. Notam uobis eſſe ob=
ſidionem puto: quanto furore, quanto
impetu, quantis machinis, quanta cru=
delitate, quot hominum nõ copijs inſtru
ctis, ſed innumeratis globis obturbarit
bonis uiris, exercitu hominum centum
& quinquaginta milium, nauibus tre=
centis & quinquaginta. Nihil hic fictũ
referimus: hæc perſcripta ex inſula ad
nos ſunt: iam uero occalluit in ſenten=
tia, ut aut ipſe pereat, aut certè inſulam
ipſi dedant. Sed quàm turpe eſt dede=
re Chriſtianam inſulam, tam impio et an
tichriſtiano hoſti? quàm non etiam no=
bis conſultum? Quod ſi rectè expẽditis,

uiciſſim cogitate, ꝙ frugi res ſit, quàm Chriſtiana, tã emeritis Heroibus ſubuenire? Si turpe eſt dedere ſe, quàm nõ multo turpiſſimum nobis, non inſtructis nauibus ſuppetias coarctatis ferre, ne coacti ſe dedant? Tandem in uos regeremus hanc noxam: Semel lupus hians cæſus eſt: ſemel proſtratus & depulſus eſt: occiſi illius cẽtum millia, & plures, ex noſtris etiã, ſed pauciores. An non eſt hoc egregiũ facinus? Quis hic non agnoſcat Chriſtum nobis adeſſe? Quis non decernet repugnandum eſſe, quando tam felicibus auibus, quod dicunt, uidet ſuccedere bellum? Sed rediјt crudelis, reſumpſit uires, Chriſtianum ſanguinem ſitiẽs ſpongia, & lernea peſtis: exercitum alterum ſarciuit ex omnifaria ultimæ plebis fece, ex ſeriſſimis & deſperatiſſimis hominibus. Sed tamẽ in hanc diem nihil effecit, perſtiterunt, perruperunt, triumpharunt homines egregiè cordati, χερσὶ καὶ ποσὶ πυκτομαχοῦντων. Illis igitur non eſt ſubueniendum

dum? Sanè si nulla sit charitas, si nullus sit etiam Christus, tamen pręmium debetur uirtuti. In harena aut pãcratio pro uiribus certantes, athlone donamus & epiniciis: si quis pro patria pugnauerit, in coelũ efferimus: cur igitur hos solos negligemus, qui totum propugnant orbẽ? Ridebitis fortasse quod dico Christianũ orbem: sed Rhodos hodie propugnaculũ est orbis. Alioqui quid tam anxiè tãq; solicitè machinaretur tyrannus astutus, si nihil suboleret hic commodi? Videt, si Rhodũ habeat, totius maris dominum esse se, uidet neminem esse posthac qui Turcitis piratis obsistat, uidet nõ citra periculum oram soluere se, quandiu Rhodianum sinum non habet. Dicam & aliud, unam atque solam Rhodum speculam esse, è qua Asiam recuperare poterimus, ex qua animaduerti in piratas potest, atq; in eos qui tyrãno machinas, bombardas, metalla, atque reliqua id genus adportant. Quo magis ac magis ma

nibus & pedibus est obnitendum nobis, ne hoc præsidium amittamus, ne nostris armis oppugnent posthac inimici nos. Reliquum est, ut de seruitute etiã dicam, non minori malo. Didicistis fortasse q̃ nephandum malum sit seruitus, quàm incomparabile precium libertas. Agite, quid cogitari funestius potest, quàm alteri addici, qui & uitæ & necis in nos habet potestatem, & si quid acquiramus, tyranno acquiramus? Cõtrà, quàm res est lętissima libertas, ubi nemo est quem uereamur, ubi nullum dominum agnoscimus præter Christum? Quàm res etiam Christiana? Nam solos Christianos uerè libertas decet. In libertatẽ uocatus est, quisquis Christi inuocat nomẽ, ut etiam Apostolus præcipit, ut si possimus liberi fieri, magis sit hoc nobis curæ. Sub hæc etiam ualde sordida est uernarum conditio, nullis apta uirtutibus, inimica religioni. Nam quorsum aliâs spectarent stigatiæ, notæ Thraciæ, furcæ, & cauteria,

seruorum

ſeruorum ſpurciſſimæ nomenclaturæ? Quis tam deſperati, tam hebetis & plumbei uelit eſſe ingenij, ut non libertatem malit, quàm ſeruitutem? Quin & exemplo adſeram quod dico. Catonem ſeniorem legimus, cum domi ſecũ aleret Chilonem grammaticum, hominẽ doctum iuxtà ac probum, indignum hunc cenſuiſſe, qui filiũ ſibi inſtitueret: adeò etiam bonorum ſeruitus, neſcio quã maculam inurebat libertati. Vicliuius quidam Pollio, etiam ſuas murenas ſeruorum ſanguine ſaginabat. Si nunc ſerui eſſe cupimus, habemus noſtras delicias: ſi piget nos tandem libertatis, habemus quo leuare nauſeam hanc poterimus. Fit enim interdum, ut dum ſecunda ſunt nobis omnia, non agnoſcamus: & cum plus licet, ꝙ par eſt, plus uolumus quàm licet: rarò ſumus noſtra fortuna cõtenti. Ceſſo uobis narrare pericula ſeruitutis. Nã poſſeſſiones ueſtræ in primis tributariæ fient, quas ſemper deglubebit t tyrãnus:

uxores

uxores uestræ uiolabuntur, uirgines uestras alieni rapient: adulescentes deputabuntur ad metalla, ad naues, ad bella, ad insulas, ad salinas, ad sulphurarias, et qui ex illis ingeniosiores sunt, Mahumetæis sacris initiabuntur: reliquum uulgus exterminabitur, exibilabitur, occidetur. Itẽ quid uobis Principibus imminet, animaduertite: imminent autem grauia, & horrenda. Nam audimus in nullos furiosius hũc grassari, quam in Principes, in Episcopos, Duces & Magistros. Quot mortibus putatis animaduertet in uos? quod non in uobis tentabit supplicium? Hæc quidem cum à me dicuntur, neminem mouent fortasse: erunt etiam ex uobis qui ridebunt: sed utinam hic fabulam agam, atque hæc non aliquando experiamur. Vidẽtur enim mihi extrema illa tẽpora adesse, quæ prædixit Christus, quibus insurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt in terris pressuræ gentium. Est fortasse nõ tam

uile

uile seruitutis nomen. Non enim è fortu
na sunt æstimãdi homines, sed moribus.
Sic dicunt illi qui nunc euãgelium mor=
dicus complectũtur: uerũ usque ad aram.
Neque nos hic prætereunt egregia illa ex=
empla philosophorum, qui libero animo
seruierunt: ut doctè disputat Macrobius.
Nihil reclamamus: possumus & libero
animo seruire, sed nõ est data opera emẽ
da seruitus: si casu obuenerit, ferenda for
titer est, sed nõ accersenda. Ne Christus
quidem hoc uoluit, ut nostra sponte pe=
riculis nos obijciamus. Proinde longè
aliud est nasci seruũ, et asciscere seruitutẽ.
Optarim utique, ut tales aliquando in dile
ctione inimicorũ, in tolerantia iniuriarũ,
in abdicatione temporalium, tam euan=
gelicos ostenderent esse se, quàm hic im=
modicè se iactant: admodũ facilè est lin=
gua euãgelicum esse. Venio ad amorem
patriæ, de quo postremò me dicturum
pollicitus sum. Hunc sanè si attẽdamus,
nulla erit occasio non repugnandi: ut de
mus

mus enim nullũ nobis imminere discri-
mẽ, atq; uestra omnia in uado sint: tamẽ
posteris uestris debetur hęc gratia, & pa
trię, ne gratis hãc tributariã faciatis. Quæ
enim melior in hominum genere natura
est quàm eorum qui se natos ad iuuan-
dos fratres, tutandos, & conseruandos ar
bitrantur: maximè cum de illis nulla ferè
alia sit spes, ut possint extricare se, aut ci-
tra periculum elabi: in desperatis autem
rebus pro uiribus fidendum est fortunæ
& Deo. Nũquam enim periculum sine
periculo uincitur. Conuenit & illius me
minisse Musonij & Catonis: si cum labo
re honesti quippiã egeris, labor abit, ho
nestum manet: si cum uoluptate turpe fe
ceris quippiã, quod suaue est, abit, quod
turpe est, manet. si enim minimè renita-
mur, in prõptu est seruitus: si uicerimus
autem, perpetua est gloria: eligite quod
uultis. Vtrum turpius sit, abnuere bel-
lum, an succumbere in bello pro patria,
ubi maxima spes est, quod possitis obti-
nere

nere pugnando? sanè nihil refert, an cum multis pereatis, ubi prorsus est pereundum, sed moriendū est semel: quàm longè gloriosius autē est mori in bello, quàm uidere mala gentis nostrę, & sanctorū? An non magnū uidetur uobis, quod in tantum regnū paucis annis excreuimus, ut totā ferè Europā habeamus nunc Christianam? ipsum hoc debemus maioribus nostris Christianis, & apostolicis uiris, qui sanguine suo nos lucrifecerunt Christo. Quod igitur ab illis tantis partū est sudoribus, tātis periculis, nos sinemus à nobis diuelli, idq́ mera socordia, et quia charitas Christi non est in nobis: pugnamus quidem, sed in nos: confodimus, sed uiscera nostra: occidimus, sed fratres. Nos enim omnes fratres sumus. Quæ est hęc insania? O miseros hominum mentes, ô pectora cæca. Qualibus in tenebris uitæ, quantisq́ periclis degitur hoc æui quodcūq́ est? Quæ unquā respubl. durauit, quę tā Vatinianis odijs dissecta est, et

intestinis

intestinis bellis? Quare non magis bellum, atque laudatum Scorionis illud imitamur: Qui dum uellet consultum fieri populi sui discordijs, contra exteras nationes solicitauit hoc spectaculo: productis in medium duobus canibus, atque illis lacessitis & irritatis in se, cum diu se confecissent, tertium iniecit lupum, quem uidentes canes, actutum immemores inimicitiæ, uno impetu in illum feruntur: atque hoc exemplo in conterminas nationes populi furorē animauit. Quoniam autē semel cœpimus hanc causam uobiscū agere, pingemus et obiter uobis quales sint, pro quibus suffragiū petimus, ne fortè infimæ notæ homines existimetis esse, barbaros ex triuio. De omni ordine nobilium sunt, comitum, ducum, principum filij, & regum affines, imò duces & principes, qui in Rhodum pro fide Christiana deuouerunt se. Cum autem religionis & ordinis nomina auditis, nihil subeat monachos uel religiosos esse:

ordinem

ordinem habent, sed minimè superstitio
sum, religiosi sunt, sed nõ superstitiosi: mi
lites & fratres sunt, sed Christiani. Præte-
rea non subeat habitus aliquis portento-
sus, aut αἵρεσις aliqua ociosorũ: nihil tam
contemnunt, quàm has nugas, nulli rei
minus uacant quàm ocio, semper in ma
ri, semper in armis: quod semper digras-
satur tyrannus, & nunquam cessatur à bel-
lo. Intersigne habent à cæteris Christia-
nis diuersum, sed gloriosum, regium, au
gustum, diuinum, crucem Christi, ut ap
pareat cuius regis sint milites. Non iam
igitur seruitutem inculco uobis, non ze
lum religionis Christianæ: sed hoc quę-
ro: sustinebitis collidi, quibus eadem uo-
biscum est dignitas, eædem sunt ceræ, ea
dem stemmata, idem militaris ordo? Ni-
si prorsus ferrei sitis, nõ sustinebitis. Nõ.
Multominus, ubi resciueritis quam crude-
lia et infanda illis tormẽta intentabit ty-
rannus, si uicerit. Neque enim ut sordida
mancipia perdit, aut uilem plebeculam,

ſed ut ſanguine & ceris præpollent, ita nullum non ſuppliciorum genus experietur. Tantum enim ad ſpectacula ſeruantur σταυροφόροι. Verubus iniicit, quo tormento nihil unquam immanius excogitauit humana ferocia. Audiſtis igitur ô principes & uiri Chriſtiani, cauſam, audiſtis preſſuram & anguſtiã fratrũ, audiſtis quoq; quid animare uos debet, quo minus etiã ceſſetis à pugna, & pro quibus eſt pugnandum. Nũc obiter reſpondeam his, qui uolunt Turcæ repugnandum non eſſe. Scripſerunt de hoc erudite & prudenter quidam, & magis ſermone uincendos eſſe, q̃ crudelitate: magis Chriſtiana uita, q̃ armis. Neq; ego quidem hic diſſentio, coniicio autem quare hoc dicant. improbãt enim non bellum in Turcã, ſed perfidorũ quorũdam technas, qui miſſis in Turcã imperatoribus, ipſi interea domi principum terras diripuerunt. Improbãt quorundã perfidiã, qui pactum inter Turcã & Principes ali

quot

quot dirumpi iusserunt: & Imperatores quosdam in Turcæ territorio cõstitutos, nequiter prodiderunt, ut caperentur. Intelligitis fortasse quid uelim, mihi in animo non est in præsentia cũ quoq; digladiari, uel alicuius nomẽ prodere. Improbãt & hoc quod toties clamatũ est, adesse Turcã: & tamẽ in Turcã nihil est actũ, nisi q̊d corrasa est à nobis pecunia: imò quod Turcã ipsi studẽt crudelitate & impietate uincere. Abusum igitur belli non probãt, bellũ uero pro gloria Christi, quî fieri posset, ut nõ uehemẽter probarent? Quis uir bonus nõ immeritò dissuadeat bellũ in Turcas, cũ uiderit nõ nisi fraude et imposturis nobiscũ agi, et nosipsos deficere in Turcas? Sed nihil ista uos moueant obsecro: alia nũc tẽpora sunt, præsertim cũ nullas iactemus tales nugas, nullã circũferamus crucẽ, nullaq; apud nos est fallacia quæstus, ut prædata pecunia ipsi postea mediũ digitũ uobis ostendamus. Tẽpori sunt hęc imputanda, imò nostræ

ſtultitiæ, qui tam ſine mẽte fuimus, ut nu
gis hiſce daremus fidem. Non debebãt,
niſi in talem uſum uerti tali mercimonio
paratæ diuitiæ. Melior quoque erat Tur
ca, quàm ut his theſauris, tam uili quæ-
ſtu conquiſitis debebat profligari. Item
quod de integritate tyranni cauſantur, ni
hil in ſacra noſtra hunc acturum eſſe, ſed
ſalua permanere omnia ſi tributum pen
damus. Nemo non uidet quàm ſtultum
ſit hoc commentum. O egregiam inte-
gritatẽ, ô egregiam fidem, ô nos demen
tes, qui ſic nòs fallimus. Fidem uos habe
bitis perfidiſſimo tyranno? fidem uos illi
habebitis, qui ne ſuis etiam unq̃ ſeruauit
fidem: qui nihil agit aliud, quàm ut hoc
prætextu noſtram obſcuret fidẽ? Quàm
ſtrenuos hodie, dij boni, Chriſtianos ha-
bemus, qui nunc in Iudæa, Palæſtina,
Arabia, & Cõſtantinopoli ſunt ſub Tur
ca? Quare uidete num dubitandum uo-
bis ſit, omni ſtudio ad id bellum incum-
bere, in quo gloria nominis ueſtri in per-
petuum

petuum celebrabitur, & fratrum nostrorum salus agitur, & respub. nostra Christiana conseruatur. Alia nisi hæc, salutis uia nulla est. Nihil ultra possum, quàm ut salutis uestræ admoneam uos & rationem habere, & ne quam contumeliam Christi patienter feratis. Pro gloria Christi & hoc bellum, cuius gloriam uos saluam uelle, uestri est in primis officij. Nihil est quod multitudinem eorum formidetis, quæ est quasi arena in littore maris: Mementote qualiter salui facti sunt, quos Moses de Aegypto eduxit, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo. Et nunc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie: & sciēt omnes gētes quia est Deus qui redimat & liberet nos. Omnis qui habet zelum Dei, statuens testamentū procedat. Ne timeatis ab ira uiri peccatoris, ne timueritis, quia gloria eius stercus &

uermis est: accipietis gloriam magnam, & nomen æternum: si enim non pugnauerimus, citius disperdent nos de terra. Confortata est superbia, & castigatio & tempus euersionis, & ira indignationis. Accingimini: & estote filij potẽtes: quoniã melius est nos mori in bello, ꝙ uidere mala sanctorum. Non nouã rem tentamus, habemus antesignanos belli gloriosos Imperatores Gotfredum, Chunradum, Carolum, Henricum, Federicũ, qui totis uiribus irruerunt in cruentos sicarios. Habetis & Imperatorũ omnium decus, totius orbis dominũ ferè, qui eiusdem sententiæ uidetur esse: ad hoc etiã diues & potens est, ut conatus uestros promoueat. Prouehet & Christus ne sint infœlices si uiderit ex animo uos consultum uelle illius rebus. Quin & Hadrianum pontificem, & Anglorũ regem, iam naues aliquot instruxisse audimus. Erunt fortasse quæ uos auocabunt, erunt ignaui & delicati milites, erunt priuata bella,

& obturbãtia negotia: sed plus his omnibus est Christus, cuius est bellum, & ultio tẽpli sancti sui: si quid ad priuatas res pertinet, ipse disponet. Interim etiã moneo, ut nõ minus uita pugnemus, quàm armis, demusq; Euangelio locum, & quemadmodum scriptum est in Esaia: Vna manu faciamus opus, altera teneamus gladium: aut media pars iuuenum faciat opus, altera sit accincta ad bellum, ad lanceas & scuta tenẽda. Domini magni & terribilis mementote, & ipse adsistet uobis. πολεμίζετε, καὶ μάχεσθον,
Dominus autem quod placi
tum est in oculis suis,
hoc faciat.

FINIS.

AD ADRIANVM VI. PONTIFICEM MAX. IACOBI FONTANI Iudicis appellationum populi Rhodienſis de Expugnatione Rhodi Epiſtola.

SCIO Beatiſſime Pater, mortales tuum numen ſumma cum ueneratione adire, atq; uti tecum ſermone pleno, compoſita et præmeditata eloquẽtia. Quæ cum à me ſit oppidò quàm alieniſſima, induxerã ferè animum non prodire antè ora pedesq; tuos ſacroſanctos. Sed expugnauit pudorem meum, & trepidæ menti meæ addidit conſtantiam dulciter omnibus adſpirãs aura clementiæ bonitatisq; tuæ, cuius afflatu Petri nauicula, uarijs tempeſtatibus acta, & penè iniquitate temporum naufraga, in portum

portum tutiſſimum ducta eſt. Nemo igi tur temeritati, aut impudentiæ mihi adſcribat, ſi in rem præſentem plus animi afferam quàm eloquētiæ, quæ, & ſi præſtò fuiſſet, negligenda tamen erat, Veritas enim quæ paucis S.T. Beatiſſime Pater expoſiturus ſum, ſimplicitatē amat, non eloquentiam, non fucum, non leno cinia uerborum. Sed ut caret mendacio, ita carere uult mendacij ſuſpitione. Ergo ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros, & breuiter uacet Rhodi ſupremū laborem audire, exponā uerè & breuiſſime omnia quæ inter obſidendam Rhodum acta geſtaq; ſint à Soleymano Turcarū Tyranno, opibus, armis, uiris, con ſilioq; potentiſſimo. Cur quæſo non dicam potentiſſimum, qui terra in caſtris habuiſſe dicitur hominum tricēta milia, mari claſſem nauiū omnis generis quater centū & quadraginta quinq;. Si in re noſtra nobis non creditur, interrogetur inſula Chius, interrogentur mercatores

quid temporis Constantinopoli nego-
tiabantur, tantis copijs menses sex Rho-
dus obsessa oppugnataque est, die, noctu,
omni armorum genere, omni ui, huma-
naque industria, supra simul subterque ter-
ram, & circa muros, quos hostis subijt
obiecto pro statione Italica et parte urbis
quæ præsidio equitum Hispaniensium
ac Gallorum Auernorũ tenebatur, alto
latoque aggere: cui extruendo & implen-
dis fossatis, rudere, terra, sarmẽtis, septua-
ginta milia agrestium hominum incum
bebant: taceo fossores meatibus subter-
raneis intentos. Sed opitulãte Deo quin-
quaginta cuniculis maceria flãmatili far
tis incensisque, ac centum & uiginti ma-
ximarum bombardarum horrendo to-
nitru, iactuque innumero æris & imma-
nium saxorum, quorũ girus nũc quinque,
modò septem, sæpissime nouem, inter-
dum undecim palmorum erat: non tam
sterni potuit Rhodus quam deformari. Nec
unque uirtus equitum labefactata est, sine
tumultuario

tumultuario, ſine iuſto prælio, tota acie mœnibus admota hoſtis congrederetur. Quod fecit certe plus decies: uerum ſemper accepta ingenti clade, ac lõge omniũ ingentiſſima VIII. kal. Octobris. Nam dum portum nauibus cingit, ne quà captis forte fuga pateret, aut ut ſimulata ibi inuaſione, militem à locis quibus imminebat diuerteret, & urbẽ quatuor ſimul locis ſumma ui acriter à prima luce uſq; ad meridiem oppugnat, octo electiſſimorum militũ milia fertur amiſiſſe. Sed heu fortuna maligna deceptrix, ut ſemper læta mellitaq; principia tua aliquo amaro fine funeſtas: quos ferro, igne, manu, inſuperabiles ſentiebas, hoſti iamiam præ deſperatione ignominiaq; abituro, ſarculis, dolabris, & terebris tradidiſti. His ſiquidem inſtrumẽtis latiſſima muri pars diſiecta eſt operarijs inter perforandũ ſemel, bis, atq; iterũ feruẽti pice & oleo incẽdiario aduſtis. Sed cũ ꝓ saucijs integri ſemꝑ reponerentur, nec iã aliud remediũ

ſupereſſet,

superesset, struitur introrsum ab oppidanis alter murus, quē ubi hostis triduo modico profectu propter eius decliuitatem bombardis impetijsset: portu iterum classe obsesso, & urbis direptione castrensibus edictis concessa, prælium renouat: intrat diluculo per strati disiectiq; ruinas muri copiosus miles, qui ducibus Achimeto & Cassio prȩside Bithyniæ, ex Epiro, Macedonia, Aetolia, ac reliqua Græcia uenerat, sublato ingenti, more barbarico ad cœlum clamore, pulchram principi suo operā nauans, spe prædæ simul & certiori fide uictoriæ. Repugnatur à Rhodijs, magnanimo Magistro nimirū Picardo adhortante, (ut à uiris fortibus in extrema spe salutis fieri solet,) diu sors & uirtus miscentur in unum: Tandem, dum sol ad medium cœli tenderet, neque Soleymanus quicq; proficeret, iubet exercitū in castra reduci: ibiq; compertum est cecidisse eo die, diui Andreȩ profesto, fortium Turcarum decem milia. Decretum

tum tunc, nec urbem amplius, nec por=
tus Tucellam, arcem diui Nicolai mul=
tis bombardarum ictibus laceram, uete=
rumq; Burgundiæ ducum opus modi=
co traiectu à cōtinenti Licyæ distans, cō=
gressu tētandam esse, sed ductis per mu=
rorū ruinas fossis, atq; insidijs in urbem
repere, & recentem murum eadem arte
qua priorem demoliri, Aegre tum extru
ctus est & tertius & quartus, fastigio ca=
pti ab hoste incesso qui fabros & milites
continuo tormētis lacessebat. Dum tam
arcte nos urgeret hostis, & omnis spes
tuendæ retinendæq; urbis palàm præci=
sa esset, nec quicq; tamen factus est fero=
cior, sciebat enim si iterum manu congre
deretur, quod ex desperatione in furorē
& amentiam uersi, infinitam suorū mul
titudinem trucidaremus. Neq; ex tanto
sanguine atque dispendio maximarum
opum magnum profectum sequi posse,
stantibus arcibus Lindo, Manolito, Fera
clo Halicarnasso, Asylo, et sacra ara Chri
stianorum

ſtianorum ſeruitutem fugientium, cuius fundamenta ab equite germano Henricho Schlegelholt Coi domino iacta ſunt, uel inuito Tamberlano, tunc Aſiam inuadenti Byaxeto Turcarum Rege, qui prius Pannonios, & Ioannem Burgundię ducē fuderat, acie ſuperato Choo, Lero, Calymna, Chalcea, inſulis (nam telū miſerum iam inuaſerat, et diruerat omni habitantiū multitudine ferro, flammis, abſumpta) ad quas expugnandas nouo exercitu, noua claſſe, & anno inſequenti opus eſſe putabat. Itaq; cogitās magnas res ſæpe melius conſilio quàm armis expediri, callidam commentus artem, colloquium ſæpe aliâs denegatum poſtulat. Populus quo cum tali tempore Magiſtro multa ſimulanda erant, audiēdum cenſet. Mittūtur in caſtra Oratores: quibus tyrannus reſpondet, nullum ſe colloquium poſtulaſſe. Proinde redeuntes q̄; primùm ſuis renunciarent: Si ſaluti ſuæ bene conſultum cupiant, faciantq; ſpontaneam

taneam deditionem urbis iam à se captę, quā aut tuto habitare, aut secure relinquere, omni gaza pecuniaq; preciosa deportata ius fasq; esset. Quod ubi renunciatū est (ut fieri solet) scinditur incertum studia in contraria uulgus. Hic uoto non tam malo q̄ stulto, ne qua fraus conditionibus fieret, Turcam cum omni exercitu procul in continentem relegari cupiebat. Ille cui fides sua aut sanguis forte feruebat testari nobilitatem equitum, testari patriam, religionē Christianam, pro his mortem obeundā esse. Tertius negare mortem nobilē futuram, imò stultam & temerariā, perdita iam patria, rebusq; desperatis, neq; religionē Christi causam belli esse, sed libidinem dominandi, Turcam susq; deq; facere homines qua fide uiuant, modò pareant imperio suo, qui omnino natura pertinacior & uerbis ferocior q̄ re, neq; modum neq; artem callens extra patriam uiuendi. Cuiq; nouus Turcarum dominatus et auaritia merito displicerent,

displicerent, clamabat omnem mortem deditione potiorem. Contrà maxima saniorq; multitudinis pars tẽsis ad cœlum palmis, manantibusq; largè per genas lachrymis, uoce supplici & lamẽtabili porrectisq; more Rhodio libellis, instare, monere, hortari, rogare Magistrũ ne eos perderet, quos hostis saluare cupiebat: neq; urbem alioqui opitulentam prædæ exponeret: senes et mediam ætatem gladio, matronas, uirgines stupro: pueros infandæ præposteræq; hostiũ ueneri, tum insanis æternisq; erroribus impij uirulentiq; dogmatis Mahumetæi, consideraret diligenter omnes iam, non corpore tantum uulneribus, morbo, uigilijs, labore irrequieto, sed animo etiã fractos esse, aspectu fœdæ & miserabilis stragis crassissimi muri nequicq; præsidio Hispanorum equitum Auernorumq; defensi, per cuius hiatum uastissimamq; ruinam expansa à fronte ala triginta equitum commode ingredi posset. Quod par et maior

ruina

ruina muro Italico non impendeat modò, sed adsit iam, atque inferatur Propugnaculo Ambrosiano, in quo omnis rei bene gerendæ spes occasióque constabat, cuniculis, tormentis, uineis, bombardis, ariete, crebro insultu inimicorum, ductore Pyrrho, uiro cum primis prudenti & acerrimo hoste Christianorū, sexto mense capto & annihilato cognosceret ægestatem suam hominū & ad laborandum & ad militandum, cognosceret inopiam pulueris tormentarij (quanquam principio copiosissimi & sufficientissimi, si obsidio humana fide maior non fuisset) qua non modo Rhodus ipsa, sed etiā Chous, Lyndus, Lerus, Halicarnassus laborarent, toties illo clam noctu, isthinc scaphis, lembis, biremibus importato. Cuius si hosti, natura suspicaci, & nihil temere credenti, per trāsfugas aut proditores, quorum nimis quàm magna est copia, tādem certa fides fiat, quid putandum? Transmarina auxilia, quorum ne spes quidem, nec

expectari debere, nec iam prodesse pos-se, urbe tribus locis ferè capta & perfossa, ad munitiones Italicas portã diui Athanasij à Muschapho Syrorum, Arabum, Thracum præfecto oppugnatam, & diu summa uirtute, tandem irrita ab ipso Magistro equitibus Britannis defensam. Et custodias Hispanorum quas occupat signis suis collatis, sanguinarius bellator, et crudelissimus Christiani nominis hostis, Princeps Magisterq; militaris desertorũ catholicæ fidei. Adde noua munitissimaq; arce in monte Philiermio structa, quæ non urbis tantũ, sed omniũ qui circa patent terra ac mari locorũ uinculum claustrũq; sit. Magister in isto rerũ tumultu nec statim certi quidpiam respondendum ratus, iubet bono sint animo, salutem omnium sibi curæ esse, ac quam primùm rem in concione ad equites, deinde ad sacrum augustumq; concilium refert. In quo proceres antesignani nominati Preianes, Vasco, & Gabriel Martinengus

nengus Brixienſis magnanimi ſtrenuiq́ꝫ bello duces, quorum meritam laudem hiſtoria mea canit, ac quàmplures alij rei militaris expertiſſimi uiri iuſſi ſententiam dicere, pronunciarunt cõcordibus animis, urbem nulla humana ope poſſe defendi, in quam hoſti tot locis, non fronte tantum, ſed latere etiam dextro læuoq́ꝫ expeditus acceſſus eſſet. Lata hac triſti ſententia, citra omnem prouocationem, nec ab ullo ineunte procedẽteq́ꝫ bello ſuſpicata. Magiſtro equitum contemplanti miſerabilem faciem ſuorũ Latinorum ac Græcorũ uiro alioqui ferocis & magni ſpiritus erga hoſtes, quiq́ꝫ nullam cõditionem accepturus uidebatur, Deo inſpirante in mentem uenit dux ille latinus, qui ſeruare maluit ciuem, quàm decem occidere hoſtes, & alter græcus cuius eſt illud ἀνὴρ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Itaque cõditiones neque iniquas neque pudendas ſibi ultroque ab hoſte oblatas accepit: quas ſuperbe refutare,

non modò erat à cõmuni sensu alienum, sed iratum Deum, tamen in ipsa ira adhuc nostri miserentem, insana pertinacia irritare, quod abhorret ratio, uetat religio, & religionis antistes Romanus Põtifex, cuius edictis sacrosanctis semper obedientissimus fuit militaris ordo, nũquam hæresi infectus, scismate diuisus, nunquam pollutis secretisque ceremonijs, aut infami abominando ue hominum uicio contaminatus, nunquam seditiosus, nunquam perfidus erga populũ Christianum, sed in fide annos prope quadringẽtos, quam Christo & Christi uicario Rhomano pontifici, principibusque Christianis debet, constans, ac pro illius tuitione depugnans cum magnis regibus, innumerabilibus populis, dispẽdio uitæ & rerum suarum. Testis olim fuit mundo amissa primùm Hierosolyma, perdita deinde Ptolemais, post euicta Macris. Tandem diu peruagata Cyprus, hac ætate documentũ præbet Rhodos sæpe aliâs obsessa & uictoriose

riose defensa, nũc autem Deo placitum est meliorẽ causam uinci à maiore ui, & claram Rhodum sub iusto clypeo misere occumbere. Verum propositum non est narrare quoties certarint equites domi defendendo aras & focos, & foris oppugnando barbaros, Syros, Aegyptios, Turcas, quos preterꝗ quod urbe et agro uastarunt Mitilene, Naupacto, Metone, totaꝗ Peloponesso, & uniuersa maris Ionij & Aegei possessione turbarunt. Et in Syriam ac Aegyptũ noua regna, uel iusta classe nauigantes interceperũt, quod unum ruinæ excidijꝗ Rhodiensis causa est. Sed ista munia belli: alteraꝗ pacis à maioribus instituta, & in presentem usꝗ diem magna fide & diligentia obseruata, hospitalitium circa ægrotorum susten tatio pauperum, sacræ elargitiones, quas largissime senserũt, & predicare debẽt, nisi sint ingratissimæ omnes insulæ græcæ. Adde quod militaris ordo, ærario suo, oneribus bellicis & hostium perfidia ac

rapina exhausto, innumeratæ mortaliũ turbæ è Rhodo profugiẽti naues & commeatus suppeditauit cuiq; in loca à se destinata, Cretam, Syciliam, Italiam, Galliam. Omnia fateor minora sunt tuis & antecessorum tuorum, cæterorũq; principum Christianorũ in illos meritis, neq; cuiq; exprobro, neq; dico ad gloliã, sed ad commiserationem, qua omni modo opus est, uictis & uectis menses septem maria omnia circum, extorribus domo, patria, egenis rerum omnium, atq; ignaris quò fata ferant, ubi sistere detur. Miserere ergo beatissime Pater laborũ tantorũ, miserere fortissimi ducis ac propugnatoris Philippi Vilerij Liladami, qui classem regis babylonici in nos fabricatam in sinu Issico cepit. Imperatorẽ Turcarum secundissima fortuna usum, totisq; imperij uiribus, ad Rhodianam internitionem laborantem, nullo peregrino auxilio, nullo externo commeatu adiutus, sex menses sustinuit, et post cruentissimam

tiſſimam cædem centies ſeptuagies mille hoſtiũ prudentia magnanimitateq́ꝫ ſua æquiſſimas pacis leges dare coëgit. Miſerere mihi tum tuorum maiorũ qui ſunt religione, iure, more, maiorum conſuetudine, fide, uoluntate, quorum inſignia eſt Crux Chriſti, Crux tua, Crux alba. Sæpiſſime rubra ſanguine gladijs hoſtiũ Chriſti, cuius tu es uicarius, uberrime ſparſo. Da profugis ſedes urbẽq́ꝫ manſuram, qua læſa uulneribus menbra, corpora labore fatigata, uigilijs feſſa, inedia exhauſta curare, reficere, ſopire, ac paſcere liceat, uidebit tum ſanctitas tua uictorẽ olim mutato Marte à uicto ſuperari. Nã ſcio ſacros & generoſos milites uelle experiri animũ, exercere uirtutem, laborem, & periculum petere, ut inſigni aliqua de hoſte parta uictoria acceptam cladem compenſent. Quibus utinam faueant, quemadmodum facit ſanctitas tua, cęteri Chriſtiani Principes, quos, te Pontifice, aut nunq̃ cõuerſis à mutua cęde in

 Turcam

Turcam armis speramus omne bellum in Græciã Asiamq; tanslaturos, quod ni mox fiat, unũ illud Sanctitati tuæ præq; omnibus unum prædicam, & repetens iterum iterumq; monebo, breui in Italia sustinendum erit. Quod q; sit ex utilitate dignitateq; Christianæ reipublicæ, haud iudico. Multi putant tutius esse uim inferre foris, quàm pati domi: quem casum auertat â nobis Deus, qui mittat Sanctitati tuę auxiliũ de sancto et de Syon tueatur te. Det tibi secundũ cor tuum & omne consilium tuũ confirmet. Amen.

FINIS.

PETRI NANNII ALCMARIANI, IN EOS QVI NEGANT

bellum Turcæ inferendum, docta simul ac Christiana Declamatio.

AN CHRISTIANIS, ac in primis Cęsari in Turcas belãldum sit, ardua quæstio est. ut enim eã rectè explices, magna opus est sacrarum literarum peritia, multiplici historiarũ cognitione, & rerum nostri temporis exacta intelligentia. His accedit quod rationes, non esse belllandum in Turcas, primum refellendæ sint, ꝗ quæ nostri argumenti sunt, tractare queam, id autem quàm non facilè est, omnes sciũt, qui D. Quodlibetarij facundissima uerba audierunt. In quibus tantæ erant illecebræ & gratiæ dicendi, ut uel iniquissimam causam ad-

uersario extorqueret, ac propterea non tantum mihi negotium futurum est cum rei, quam tractaturus sum, difficultate, quàm cum uiribus illius eloquentiæ: ueuereorq; ne apud aures uestras illius adhuc facundia plenas, minus loci meis uer bis inueniatur. Semper quidem peiore loco est, qui secundo dicit, nimirum cui & rationes aduersarij infringendæ sunt, & suæ confirmandæ, ac propterea olim unam clepsydram actori, duas reo infun debant, quasi illi in dicēdo simplex, huic duplex negotium sit. Tum uero longe pessimo loco est, qui secundo dicit, ubi aduersarius & autoritate maior, & gratia charior, & eloquētia instructior, eas adfert rationes quæ tametsi ueræ non sint, ueri tamen specie & similitudine imbutę sunt, quod mihi nūc uidetis accidisse. Est enim mihi res cum doctissimo uiro septem liberalibus artibus, ac sacra theolo gia instructissimo M. Ioāne Meuio, qui nos multis sentētijs ex Euāgelio petitis,
&

& ad suum negotiũ attemperatis ita oppugnat, ut nisi causæ fiducia multum niterer, omnis spes mihi contradicendi de manibus deponẽda esset. Cæterũ iustam causam magna eloquentia degrauare potest, extinguere non potest, non enim dicẽdo rei natura mutaur. Quare nos qui uiribus illius eloquentiæ pręmimur, causæ ueritate obarmamur, non permittemus ei, ut sine pugna uincat, dicemusq́ magno cõpendio quàm sancta sint bella in hostes fidei: deinde q̃ certa spes uincẽdi Turcas nũc Cæsari alluceat. Quod si quis me temeritatis accuset, quod hanc tam arduam prouinciam susceperim, indiligentiæ, quod non maiori facundia rem tractauerim, sciat amicorum precibus datũ esse, quod hoc onus subierim, sciat mihi breuissimum tempus datum esse ad meditandum. Cuius rei mihi testis est tota honestissima domus pædagogij Castrensis, eruditissimis & integerrimis uiris plena. Si igitur minus satisfe

cero

cero doctissimis auribus huius cōsessus, danda ei uenia est, cuius diligentia breuitate temporis exclusa est, eaq; cēsura adhibenda est, non quæ elaboratæ, sed quæ extemporali orationi debetur.

Dicit D. Quodlibetarius non esse in Turcas bellādum, quia fides nostra martyrum patientia, nō militum armis propagata est. Si mihi eos daret Turcas, qui publicam pacem non uexarent, qui spolijs nostris contenti essent, qui ultra sanguinē Christianum nihil peterēt, aut qui ullis nostris pœnis, quas iam annum septingesimum exercent, mitigari possent, acquiescerem illius uerbis, non negarem bona, sanguinem, uitam, Turcarum crudelitati offerenda esse. Nunc quum Christum nobis, nos Christo eripere tentent, nec minus in Christianam fidem, quàm in Christianos sæuiant, qua ratione muniemus, non esse cum tali hoste pugnandum? Erant quidem illi patres nascentis ecclesiæ ad omnia patientes, sed cum lu-

crosa

crosa patientia. Sæpe unius martyris supplicium, mille animias lucrifaciebat, sępe unius Christiani mors, infinitā turbam Deo conuiuificabat: apud Turcas martyria totius prouinciæ, ne unam quidem animam Christo adferunt. Septem sæcula Christianorum tormentis absumpta, ecquem unquam Turcam ad Christi fidem conuertêre? Mentior, si mihi possis tot Turcas numerare, qui Christi fidem amplexi sunt; quot prouincias amisimus. Quur autem id fiat, causam dicam. Persuasum est illi gēti propterea nos ab ipsis uinci, quia meliorem quàm nos religionem colant, ac propterea quanto magis nos uincunt, tanto magis fidem suam approbant, nostram contemnunt. Exarmate igitur, porrige nudum collum, ut tuo sanguine Mahumeticam religionē, non Christianam cōfirmes. Vis talem patientiam, qualis in primordio ecclesiæ fuit? cōcedam, sed da eadem lucra. In primordio ecclesiæ minus quàm intra ducentos annos

annos martyrum tolerantia totus orbis Christianus factus est. Statim enim ut intellectum est, Christianos esse homines innocentes, à poenis temperatũ est, ipsis prouinciarũ Prӕsidibus apud Cæsarem pro Christianis intercedẽtibus, ut ex Cecilij Plinij epistolis apparet: poena deinde delatori constituta, ne Christiana innocẽtia calumnijs uexaretur. Postremo ab omnibus Christiana fides recepta est, ita ut ipsi Cæsares crucem Domini, & in uexilis, & in frontibus gestarent. Has belluas opibus totius mundi pingues, Christianorũ sanguine & uisceribus uuidas, ad septingẽtos annos sustinemus: indies nostra patientia efferatiores, nihilq́ tot seculorum tolerantia profecimus, nisi id proficere dicamus, q̃d intra XIIII. proximos annos Rhodus tota, Hungaria magna ex parte Christiana esse desijt, & nisi Cæsar relicta ista patientia sua, arma ad Viennam opposuisset, idem de Germania futurũ erat. Olim uariabant Ethnici

nici Cæsares, nunc boni, nũc mali. Erãt Nerones, erant Diocletiani, sed erãt etiã Constantini, Philippi, Iustiniani, certe maior pars Cęsarum, ut nõ profuerit, ita nihil nocuit rebus Christianis, malus Caligula, sed in Christianos non malus: malus Tiberius, sed in Christianos etiam bonus, ut qui edicto cauit, ne Christiani poenis afficerẽtur. Ethnicus Alexander Seuerus, sed in Christum non ethnicus, utpote qui eum in Larario coluerit. Habebat tum aliqua interualla quietis Christiana respublica, quæ ab istis rabidis canibus sine fine laceratur. Recense totam stirpem Othomanicam, Amurates, Pazaites, Mahumethos, Zelimos, Solymãnos, quis non istorũ maiores suos crudelitate superauit, & posteris gradum maioris tyrãnidis ademit? Finge charitatem omnia sperare, finge adhuc posse aliquẽdo mitigari, qui septem sæculis nulla nostra patientia mitigati sunt, sed eadẽ opera lupos in oues, leones in ceruos suam rabiem

rabiem aliquando deposituros spera. A condito æuo usque ad hunc diem accipitres, milui, æquilæ miseras aues deuorãt. Vide an patientia tantorum temporum mitigentur. Non possunt mitigari, quibus in natura non est, ut mitigẽtur. Sunt quidam indurati Pharaones, sunt quædam insanabilia ulcera, ubi solum serra, & cauterium remedium est. Olim Ethnici Cæsares supplicijs grassabantur. isti & supplicijs, & sceleribus sæuiunt. Matronæ stupris, adolescentes amisso sexu nefandis libidinibus destinãtur, quo ut corpora ecclesiæ, ita animas Christo eripiãt. Non omnibus temporibus eadem congruũt. Christus nullum læsit, nullum occidit, ad Apostolorũ preces aliqui lęsi, aliqui occisi sunt, quur ita dissimiles à Christo discipuli Christi? Imitatione quidem similes, tempore dissimiles fuere. Conueniebat temporibus Christi, Christi illa clementia, conueniebat temporibus Apostolorum, hæc Apostolorum seueritas.

Olim

Olim Christiani nullas ciuitates, nullas regna habebãt. Ibi si ad arma cõsurrexissent, conspiratio potius quam bellũ fuisset, tuncne scandalum daretur, aut calumniã seditionis sustineret ecclesia, ab omni genere defensionis abstinendum erat. Nunc quũ ciuitates, regna, imperia habemus, sine dubio Dei dona, in quibus ecclesia, uelut in tabernaculis Abrahę requiescit, ea diripi sinemus? Nõ tulit hoc Abraham in cognato suo Loth, tantum abest, ut in se aut in filijs sustinuisset. Laudatur septem Machabæorũ mater, quæ tot supplicia in filijs passa est. Sed non minus laudatur Iudas Machabæus, qui sumptis armis obstitit, ne talia paterentur matres. Habet ecclesia sua tempora. Qui primi ad præsepe Domini uenerunt, pastores erant, inopes erant, qui postea, reges erant, quod regium erat, apertis thesauris regia munera obtulerunt. Aliter in ecclesia agendum erat, quum Christiani nullis ciuitatibus, nul-

lis regnis muniti erant, aliter nūc, quum muniti sunt. Longè aliter Iudæi in Aegypto uixerunt, alienæ reipublicę admixti, lōgè aliter in terra sancta, quū mœnibus & ciuitatibus distinctam haberēt remp. Illic omnia obsequenter faciunt, iussi filios necare, necāt, hic in bella consurgūt, armis sese, suaq́ꝫ defendunt. Longe rursus illis alia uita in Babylonico exilio: per uaria loca dispersis, alia in patrias sedes reuersis, ibi enim ad flumina Babylonis, suspensis citharis, fletu suas fortunas deplorant: in patriam regressi, templum armati ædificant. Nec tempora tantum istis discriminibus, sed hostes etiam suis gradibus distinguūtur. Alius hostis Aegyptius, alius Idumæus, alius denique Ammonites, qui ultra decimam ætatē, & in æternū à templo excluditur. Noluit Dauid pugnare in Saulem, quia Domino inunctus erat, in idololatras libenter pugnauit. Quàm sancta uero sint bella in hostes religionis, omnes ordines, ætates,

tes, sexus docēt. Præit sacerdos ante aciē Iudæorum, sub prælium uerbis, in prælio clangore buccinæ ipsorum animos cōfirmans. Interficiūt Leuitæ uituli adoratores, & ministerijs altarium sacratas manus ad cędem cognatorum, fratrum, filiorum transferunt. Quur ita? quia illi hostes religionis esse cœperant. Helias propheta Domini, satrificos Baal in ipsis altaribus occidit. Ioada summus sacerdos armatos in templo disponit. Iudas Machabæus sabbato præliatur, nec uiolatur sabbatū, nec seruile opus putatur, sabbatum Domini, hostium cædibus funestare. Pugnat Delbora, occidit Iahel, insidiatur Iudith, ut intelligas omnium manus ad bellum pro populo Dei consecratas esse, nec fœminea arma in hoc negotio repudiari. Nec bella tantum in hostes fidei permittuntur, sed etiā pax in futurū prohibetur. Iubentur à Deo omnes Chananæi, Iebusæi, Euæi, Ethæi, Pheresæi ad internetionē usque occidi, nec

ulla cum illis fœdera iniri, quod si non omnes habitatores terræ Chanaam occidissent, panolethriam, quam Chananæis inferre decreuerat, minatus est se in Iudæos translaturũ. Crudelis ne Deus qui ista præcepit? nequaquam. Suæ religioni consultum uoluit, moribus populi cõsultum uoluit, ne ab idololatris, idololatriam, à sceleratis scelera condisceret. Igitur Saul, quia hosti pepercerat, ipse spiritum sanctum, filij uero ius regni amisere. Vsque adeò peccatum non est, peccatis bello obsistere, ut nisi obsistas, peccatum fiat. Age in tantis scripturarum testimonijs de belli iure hæsitabimus? Non nobis excutient hanc dubitationem, Rex Leuita, propheta, sacerdos, fœmina totiens pro populo Dei decertãs. Dicit D. Quodlib. non esse minandum, non esse maledicendum, nõ esse pugnandũ cum hostibus fidei. Quid si fateamur nec minas, nec maledicta, nec arma in hostes licere: atqui licitum erit malos à suis sceleri

bus

bus cõpescere quod, si ad id opus erit armis, dicam ea arma nõ hostibus, sed sceleribus inferri. Si oculus scãdalizat, eruendus est, si dextra, & ipsa abscindẽda, scandalizatori mola asinaria in collum pendenda, ipse in mare præcipitari iubetur. Vnde ecclesiæ maiora scandala, quàm à gente Mahumethica? Raro ulla hæresis ultra seculum durauit. Ista sceleratissima superstitio iã septimũ seculũ transcendit. Quid? q̃d Apostoli sua arma habuere. Percutitur Elymas cæcitate à Paulo, occiditur Ananias et Saphyra à Petro, pręcipitatur Simon Magus ab utroq;. An quum uulnera eorum, cædes, strages audiamus, ipsos arma habere negabimus? Et quid aliud faciũt arma? Sed dicis precibus ista facta, credo, sed non propterea ista laudantur, quia precibus facta sunt, sed quia iure & recte facta sunt, alioqui sagæ, & uenefici etiam precibus occidũt. Consulunt milites Ioannem Baptistam, quo nemo inter prophetas maior: Non

illis adimuntur arma, non usus bellandi interdicitur, tantummodo iubentur ab iniurijs & calumnijs prouincialiũ abstinere. Sed inquis, hi milites ethnici erant, atqui hi non ut ethnici quærunt, sed cupiunt effugere uenturam iram, cupiunt euadere securim ad radicem arboris positã, optant illud consilium, quod ipsos saluos faceret, non quod aliquantulum ex sceleribus immutaret. Ipse Christus ad uim quãdam defensionis erupit. cum enim uidisset ementium & uendentium indigna cõmertia, facto ex funiculis flagello, mensas nummulariorum subuertit, ipsos è templo expulit. Ineas comparationem eorũ quæ tum in templo fiebãt, & eorum quæ nunc à Turca perpetrantur. Vendebantur columbæ, sed ut esset unde Deo sacrificaretur, dabatur fœnori pecunia, sed ut esset unde uictimæ cõpararentur. Omnia tandem fine suo ad cultum Dei cõcurrebant. Turca stupris, sanguine, cędibus, templa, aras, ecclesiæ sacramenta

sacramenta contaminat. Discamus uel à mansuetissimo Christo, ad tutelã templi mansuetudinem aliquando deponẽdam esse. Nec omnino uerum est, martyrum tolerantia, non militum armis Christianam fidem propagatam esse. Multæ nationes bello domitæ, Christianam fidem suscipere coactæ sunt: Sic Vuestphalia, sic Saxonia à Carolo Magno, Normannia à Carolo Manno, Bethica à Ferdinãdo, nostra adhuc ætate ditioni Christianę additæ sunt. Quod si ista nesciremus, saltem à Turcis discẽdum esset, quid arma in promouẽdis religionibus possint. Fas est enim, ut ait poëta, & ab hoste doceri. Deposuit Christianam fidem tota Asia, tota Aphrica, & quicquid in Europa à Tanai fermè usq; ad Danubium, mare mediterraneũ spectat. Non à uolentibus istud, sed necessitate belli ab inuitis expressum est. Deponamus arma, ut quicq̃d residui est in Christiano orbe, Turcę cedat, faciamus quod hostes fidei optãt,

ut ſine ſuo ſanguine omnem Chriſtianum ſanguinem fundant, ut templa matronarum ſtupris, uirorũ cædibus profanentur, ut pueri pro libertate ſeruitium, pro Chriſtianis legibus Mahumethicã ſuperſtitionem diſcant. Quid aliud Mahumethus ille Antichriſtus, quid aliud Sathanas, quid aliud totus infernus optat, quàm iſtam mentem Chriſtianis dari? Nõ inuehor in doctiſſ. D. Quodlibetariũ, qui quicquid dicit, diſputandi cauſa dicit, in illos inuehor, qui iſta uero animo & dicunt, & ſentiunt. Non probo bella inter Chriſtianos, probo bella pro Chriſtianis. Ioſue cum pugnat pro Gabeonitis, non ſuæ gentis aut religionis hominibus, ſed tantũmodo confœderatis. Sol et luna in ſtatione manent, quo uictrici manui lucem ad internetionem hoſtium ſuppeditarent, de cœlo in eoſdem hoſteis pugnatũ, grãdinibus prius à deo contuſi ſunt, ꝙ hoſtili manu caderent, qua ex re cœli ſyderũ teſtimonio

docemur

docemur, nō solum pro nobis, sed etiam pro socijs nostris bella licita esse, atque ea ipsius Dei auxilijs perfici. Nec alia mens Deo in ueteri, alia in nouo testamēto, cuius uoluntas æterna est, nec ullis uariationibus subiacet. nam et Theodosio imperatori Christiano, aduersus barbaros pugnāti, turbinibus & uētis hostes subegit. Vnde Claudianus, tametsi Ethnicus homo rei miraculo compulsus, ita imperatoris uictoriæ accinuit.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad claßica uenti.

Si lupus ouē deuorat, obsistimus, quum ouilia Christi uno impetu deuastātur arma deponemus? interim precaturi, dum miseri agni sub dentibus palpitant. Aut uecordium ista, aut pauidorum sunt uerba. Non damno preces, oret mens, sed pugnet manus, ne Deum tentare uideamur, qui ad tutelam nostri armis à Deo datis non utimur. Videmus eos esse mores populi, eam ferocitatem gentium, ut

sine bello esse non possint, aut inter se, aut in hostes fidei pugnant. Hæc rabies bellandi, in Turcas, quasi in latrinā exoneranda est, ne in Christianos effundatur. Post primam illam Godefridi expeditionem bellatū est ultra 140. annos in hostes fidei, nunc Rex Galliæ, nūc Rex Angliæ, nunc Imperator Germaniæ infidelium terras inuasit, interim in uisceribus Christianæ Reip. fermè cōtinua pax fuit. Vbi illic bella omissa sunt, ciuilibus prælijs ad hunc usq; diem inter Christianos sæuitum est. Verum ut Christianis bellare non liceat, illis fortasse non licuerit, qui uicem Apostolorum gerunt. Cęsari uero qui nō in Apostolorū, sed in Iosue, Gedeonis officia subit, omnino pugnandum est, nisi gladium suum à legibus, ab ecclesia, ab ipso Deo traditū, frustra gerere uelit, qui tamen illi frustra datus non est, teste Paulo ad Ro. 13. Hunc enim Dauidica illa adhortatio semper in armis esse iubet: Accingere gladio tuo su

per

per fœmur tuum pontentissime. In huius persona gloriatur idem ille Dauid de sua bellicositate. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ. Decet enim imperatoriam maiestatem non solum legibus armatam, sed etiam armis decoratam esse. Indicat id etiam ritus cõsecrandi Cæsaris. nõ enim solum aurea, sed etiam ferrea corona decoratur, ut intelligat sibi cum ferro, cũ armis negotiũ fore. Dũ Euangeliũ cãtatur, Cæsaris gladius erectus tenetur, satis pro indicio, illũ gladiũ ad Euãgelij defensionẽ Cæsari dari: q̊d certe Carolus Imperator optime agnoscit. scribit enim ex auito symbolo in titulis nũmorũ; Da mihi uirtutẽ cõtra hostes tuos, hãc uirtutẽ auus illius Ferdinandus Granatæ expugnator, à Deo petijt, & obtinuit, & fœlicibus armis exercuit. Huius beneficio à Sarracenica gente liberas habemus Hispanias, quæ illic mox à temporibus Heraclij ad septingẽ-

tos annos dominatum exercuit, quæ Na
uerram, Aquitaniam, Italiam multis in=
de excursionibus uastauit. Huius tam
præclari liberatoris Hispaniarum Cęsar
ex filia nepos est, in huius possessionem
Cæsar uenit, huius facta expugnatione
Tunesij imitari cœpit. Si quærat Cæsar,
quibus in ueteri testamẽto succedat, in=
uenit se Dauidibus, Machabęis successo
rem datum. Si quęrat quibus in nouo te
stamento imitator sit datus: intelligit sibi
Godefridorum, Constantinorum facta
ad imitationem esse proposita. Si quærat
quem sibi hoc tempore æmulãdum de=
sumat: Ipse seipsum æmuletur necesse
est, suasq; res gestas in exemplum trahat.
Addenda enim sunt facta quæ non de=
generent à Viennensi uictoria, quæ di=
gna sint triũphis Aphricanis. Hęc enim
non pro fine, sed pro exordio rerum sua
rum habere debet. Gerit nomen Caroli
illius Magni primi apud Gallos impera
toris, ipse etiã Carolus Magnus, nomen
illius

illius ipsum cum summo imperatore cō=
mittit, quem nisi superet, æquare non ui
debitur, ut semper benignius ęstimamus
uetera quàm noua, recentiorum parum
æqui iudices. Carolus ille magnus Saxo
niam, Vuestphaliam, Nauerram, Aqui
taniam, Asiam, Hierusalem hostibus fi=
dei ereptas, Christo reddidit. Iste tanti no
minis hęres et eiusdem imperij successor,
post profligatos apud Viēnam Turcas,
post expugnationem Tunetis, segnis in
suas laudes erit? procursumq; uictoriarū
suarum cum Christianorū dolore, cum
summo Turcarum gaudio, quasi inui=
dens sibi, sistet? omniumq; fidelium ho=
minū spes destituet? Persuasum est enim
omnibus aut hoc Cæsare, aut nullo unq;
Turcas uinci posse. Pacem cum Turcis
habere non potest, aut inferenda Turcis
arma, aut illorū accipienda, hoc tantum
in deliberatione est, foris 'ne, an in uisce=
ribus regnorum suorum bellum habere
uelit. Bellandi consilium, quod alijs prin
cipi

cipibus, qui procul à Turca agunt, uolũ-
tas dare potest, id Cęsari necessitas expri-
mit. In collimitio Turcarũ sita est Hispa-
nia, Sicilia, Sardinia, Baleares insulę, atq;
ipsa deniq; Italia classibus Turcarũ ob-
noxia est. Aut proferendum imperium,
aut amittendũ. Nõ possunt Turcarum
arma quiescere etiam cum lacessita non
sunt. Quid post tantas eorum ignomi-
nias, post tantas clades futurum arbitra-
mur? Vt absit hæc bellandi necessitas,
tamen atroces iniuriæ in Christianum
nomen hactenus editæ, uel mansuetissi-
mum pectus in bellum pertrahere pos-
sunt. Amisimus intra decursum unius se
culi Thraciam, Græciam, utranq; My-
siam, Rhodum, ac magnam partẽ Hun-
gariæ. Decurrat adhuc tale seculũ, iam
Christus in toto orbe, nihil Christiani ui
debit. In certos gradus odia sua Turca di
stinxit. Magnus illi hostis, quisquis Chri
stianus, maior Cęsar, maximus ipse Chri
stus. Si posset Christum in cœlis regnan
tem

tem à dextra patris deturbare, ne momẽtum quidem temporis interponeret, id quia non poteſt, ſatagit ne ſaltem in animis fideliũ regnet. Cæſari olim cum tria imperia erant, duo eripuit, de Conſtantinopolitano ſolio, de Trapezũtino ſe imperatorem iactat: quod magnus eſt, Cæſaris iniurijs magnus eſt: quod diues eſt, eccleſię ſpolijs diues eſt: quod multorum populorũ ſeruitute ſubnixus eſt, de Chriſti dãno eſt: Regna enim illius olim Cæſaris, templa eccleſię, populi ipſius Chriſti erant, quæ nunc omnia ſæua illius tyrannis poſſidet. Putat ſceleratus, quia maiorem partem orbis Chriſtianis ademit, etiã reliquias ſibi deberi. Ita inueterata rapina pro iure habet, quod diu poſſidet. Cum Aſiam diu tenuiſſet, putabat ſibi Aphricam deberi, occupata Aphrica, totam Europam animo inuaſit: ita ille regni limite non iure, ſed libidine determinat. Nec iniuriam putat ſe Ferdinando feciſſe, quod magnam partẽ Hungariæ

eripuit,

eripuit, sed quia non totam eripuit, inter acceptas iniurias adnumerat, nec quod iam Rhodum ultimũ Cycladum in potestatem redegit, ad terminos imperij sui peruenisse se putat, sed nũc Siciliam, Sardiniam intra partes regni sui descripsit. Huic uoto quia Cæsar maxime, obsistere potest, Cæsarem maxime & timet, & odit, & quia timet, uehementius odit. Hinc illæ direptiones Balearum insularum, hinc Hispaniæ littora tam fœde populata, hinc Hungaria usq; ad Viennã peruastata, ac à Vienna intra ipsa uiscera Germanię ad octodecim miliaria omnia ferro, flammaq; consumpta. Nec enim in Cæsarẽ solum, sed in omne genus Cęsaris imfestus est. Ob Cęsarem Ferdinandum, ob Ferdinandum Cæsarem, ob Christum utrunq; odio persequitur, à Cæsare in Ferdinandum, à Ferdinando in Cæsarem reciprocis armis incurrit, ultro citroq; iniurijs cõmeans. Nec mirũ, dolori illi est aliquod nomẽ imperij apud hos

hos fratres superesse. Semel ex imperio Trapezuntino, semel ex Byzātino Caesaris titulum habet, tertium ex Romana sede affectat. Ad eam rem duas quodam modo sibi uias struxerat, redacta in suā potestatem Hungaria, & occupato Tunetēsi regno, est enim ex Aphrica in Italiam commodissimus traiectus, ex Hungaria per Alpes illic nusq̄ praeruptas facillimus descēsus. Haec ille machinabatur, quo ablata Italia ter imperator esset, Caroli Caesaris titulo nihil praeter inane nomen relinqueret. Tantum praedonē Caesar amplius in sua regna grassari permittet? & quem hactenus, ut ait Hermolaus Barbarus, Christiani sua desidia magnū fecere, maiorē fieri sinet? Possint alij Caesares causari, quo minus in Turcam bellarint, uires, fortunam, otium sibi defuisse, quae omnia Caesari Carolo abūde adsunt, nullus enim inter septingentos annos tam late imperauit, nulli fortuna benignior, nunq̄ in Christiano orbe maior

ab armis quies, ut relinquamus ditissima inter Belgas regna, & tam longe lateque Oceani littora potētiss. populis Germanici nominis occupata. Relinquamus Sardiniam maximā mediterranei maris insulam, eādemq; feracissimam, si Herodoto credimus. Relinquamus Siciliā; quae una toti Peloponeso à Thucidyde comparatur, Non ueniant intra numerationem hanc tot insulae in mari mediterraneo, in Oceano, & alterius hemisphaerij Antipodū noui illi mundi. Segregemus latissima Italię regna: Nónne sola Hispania ad hoc bellum suffecerit? nónne sola Germania quātascunq; copias militum attulerit? Quod si quis iā dicat, quid haec ad uniuersam, Aphricam, Asiam, & magnam partem Europae, quae omnia Turcarum ditioni subiecta sunt: si Geometrarum in morē spatia terrarū dimetiamur uincimur, si uires, animos, arma, quae sola in bello ualent, in comparationem mittimus, quid est quod Turca sibi non metueret?

tueret? quid est quod Christiani sperare non debeant? Armet se tota Asia in bellum, quos populos producet? nimirum Lydos, Phrygas, Mysos, mollissima genera hominum. Nullum unq̄ hostē magis, ut inquit Liuius, Romani spreuerūt, nec mirum, ubi Amazones fœminæ dominatę sunt. Perlege historias, Asiani semel acie egregie uicti, raro ad secundam pugnā redeūt. Vnico pręlio Cyrus Asiā minorem, unico Romani domuere. De Aphricanis quid attinet dicere, qui ab Alexandro Magno citra ullū conflictū, à Zelymo nuper unica pugna imperiū, libertatem amisere. Quis nescit in sacris scripturis Aegyptum arundini esse comparatam, cui si quis innitatur, frangitur. Trahit, ut aiunt, Turca septingentorum milium turbam, si numerū respicias, orbem uniuersum cōtra te uenire putes, si uires, prędam tibi uberiorem obiectam credas. Quoties cum hoc hoste Mathias Hungariæ Rex nostra ætate pugnauit,

toties uictor rediјt. Bone Deus quàm exi gua manu, ingentes illorum copias concidit. Eripuit ille uir Turcis, quãuis contra eum in armis staret tota Asia, Aphrica, & quicquid in Europa est Turcarum ditionis, eripuit inquã Turcis magnam partem Mysię inferioris: Seruiæ & Bosinæ, ita ut etiam mœnibus ipsius Constantinopolis formidabilis esset. Bene dictum est ab Annibale de Asiano milite, quem magnis copiјs instruxerat Antiochus, eum sufficere Romanis, etiamsi sint auarissimi, quasi Asiani arma sua nõ ad pugnã, sed ad prędam circumferrent. Porrò fortuna Cæsaris tanta est, ut quot bella gesserit, tot uictoriјs inclaruerit. Id certe constat, si de solis Turcis tot triumphos reportasset, quot aliunde parauit, tota gens Machumethica extincta fuisset, Asia, Syria, Assyria, Aegyptus, Aphrica, Pontus, Græcia, Thracia ad imperium Christianorum rediјsset. Qui ergo Cæsari suadet, ut Turca, quẽ solũ Christiani ti
ment,

ment, & qui ſolum Cæſarem timet, abſti neat, uidetur nec Chriſtianis uelle cõſule re, et Cęſaris laudibus inuidere, nec igno minias Chriſtiani nominis diminui cu- pere. Delenda eſt enim ex hominum ani mis memoria, imperante Carolo ubique uictore. Rhodum ipſo natali Chriſti die à Turcis captam eſſe, Hungariam perua ſtatam, Viennam in conſpectu Germa- nię impune obſeſſam. Quod ſi iſta ex ho minum animis deleri non poſſunt, anna libus ſaltem memoria relinquēda eſt, iſta aut maiora regna à Turcis recepta eſſe. Quod certe breui futurum nequaquàm dubitamus. Sunt enim Turcarum uires in ſpeciē magnę, reipſa exiguæ. Id ita eſſe iam ſecundò Chriſtiani in Cæſaris bellis uiderunt. Quid enim Solymannum ſal- uum à Vienna in patriam retulit, niſi fe- ſtinatiſſima fuga, quæ quo ſibi liberior eſſet, hoſtiq; perſecutionem auferret, põ- tes interſcidit, cõmeatus corrupit, flumi- na infecit, amiſſo interim omni leui equi

tatu ad XIII. milia numeroso, ac ne tẽta
ta quidẽ iterũ obsidione Viennę, ad mili
tẽ quẽ à Tanai, ab Euphrate, à Nilo usq;
cõtraxerat. Vt Cęsarẽ nuper ab obsidio
ne Tunesij amoueret, Arabes omnes,
Aphricanos omnes in Cæsarẽ armauit,
qui eiusdẽ audacię cũ suo imperatore, be
neq; memores profugientis apud Vien-
nam exercitus, uix ostentata acie post ue
litũ iaculationes, antequam manus con-
sererẽt, pro uictis sese habuere, fugam ar
ripuere, cum armatorũ copia duplo plu-
res quàm Cæsar, haberent. Dedit cœleste
numẽ Christianis hominibus magna do
cumenta, quàm facilis sit ex hoc hoste ui
ctoria. Videmus expeditione trimestri,
exercitu non ultra sexaginta milia nume
roso, amplissimũ totius Aphricæ regnũ
Christiano orbi redditum, pluresq; hosti
arces ac ciuitates auulsas, quàm amissos
milites. Quod si quis roget: Vnde igitur
Turcæ tam magni facti sunt? non aliun-
de magni facti sunt quàm ex obserua-

tis temporũ occaſionibus. Tum Hieruſalem amiſimus, cum Comes Tripolitanus, & Rex Hieruſalem ciuile bellũ inter ſe gerebant, noſtris diſcordijs ad uictoriam ſuam Saladinus uſus eſt. Ptolemaidem tum demũ ſubegit infidelis, ubi Piſani & Genuenſes mutuis inter ſe cædibus Chriſtianum militē abſumpſiſſent. Antiochiam ipſe Patriarcha uendidit & prodidit, Græci Turcas in ſua regna introduxerũt, nō aliter, quàm ſi quis uenenum in ſua uiſcera ingerat. Ludouico Hungariæ regi nihil niſi nimia fortitudo nocuit, qui cũ uiginti ſex milibus, ſeptuaginta myriadas Turcarum profligaſſet, dum caſtra oppugnat, & uictoriam ſimul, & uitam amiſit. Nunc illæ occaſiones, quas Turca captare ſolet, Chriſtianis adſunt. Inter Chriſtianos principes nullum bellum eſt, quieſcunt Gallorum arma, quieſcunt Italorum, quieſcũt Germanorum, quieſcunt Hiſpanorum. Ipſe cōtrà Solymannus defectionibus Aphricanorum

canorum deseritur. Persarum armis frangitur, non nisi dimidiatas uires aduersus Cæsarem adferre potest. Toto orbe illius copiæ distinentur, occurrẽdum ad orientem, occurrendum ad occidentẽ. Omnia illi incerta, omnia suspensa, omnia suspecta, quid enim in illius pectore securum esse potest? Aulæ principum coniurationem, regnis defectionem, ciuitatibus seditionem, singulis familijs seruorũ perfidiam timet. Qui enim de principum animis certus esse potest? qui fratres suos in auspicando regno occidere solet. De ciuitatibus uero quomodo nõ anxius esse debet? quas scit nõ solum ab hominibus genere diuersis, sed etiã religione discordibus inhabitari? De seruis qui minimũ posse uidentur, quanta illi sollicitudo nascitur, quos iam non metu, sed ipsis sensibus intellexit, quantopere suis rebus nocere possunt, nimirum quos uidit Cęsari maturasse uictoriam. Vere dictum est à priscis, tot nos hostes habere quot habemus

mus

mus seruos. Tradita est Cęsari sine oppugnatione Tunēsis ciuitas, quur ita? quia ciues foris hostem, domi seruos suos metuebant. Quàm autem plena sit Turcia seruitijs, idq; Christianis, satis indicant octodecim illa milia captiuorũ Christianorũ, quos Cęsar expugnato Tunesio libertati restituit. Sępe serui per se bellũ cũ dominis gessere, nullo adiuti extraneo hoste. Testis Spartacus gladiator Romanorũ cladibus nobilis, testis arx Capitolina seruorum armis occupata. Testis Tyrus, quæ usq; ad tēpora Alexandri Magni seruorum dominatũ passa est: testis Aegyptus, quæ diu seruos suos reges uidit. Quot inde ad nos transfugia, deditiones, proditiones futurę sunt, si uiderint serui, quondam Christiani, Christianos exercitus suis urbibus admoueri? Quid de regnis dicã? quorũ Turcis nihil, pręter Bithyniam hæreditarium est, imò ne Bithynia quidem, nam si patriã quęrũt, ad Scythicas niues, unde orti sunt, remi

grandū est. Quātus hinc Solymannū me tus circunstat, Aegyptus quæ illi nūc serua est, cuius principem patibulo suspendit, nōdum uigesimum tertium annum agit, ex quo regem suum, latissimum imperium, & libertatem amisit. Ipsa Constantinopolis non ultra nonagesimū annum seruit, eosdem fermè annos seruitutis suę Thracia, Græcia, utraq; Mysia denumerat. His gentibus aut memoriā sui regni, aut libertatis desiderium, aut sensum sui doloris extinctū arbitramur? ac nō potius statim ad primam Christianorum armorum spem omnia defectionibus, tumultibus oppleturas esse, præsertim quū ex Tunensi bello didicerit, quātum spei in Cęsaris armis reponendū sit. Has tantas occasiones de manibus omittemus, uel potius hostibus largiemur? Pazaite à Taberlano capto, potuerāt Christiani quicquid amissum erat à Turcis reuellere, cessatū est, tanta opportunitas neglecta est, quid postea euenit? Tertius ab

ab illo successor, qui in parẽtibus suis unà cum regno extingui poterat, Christianis duo imperia, duodecim regna, ducentas urbes ademit, eo beneficio Christianorũ quies repensa est. Nimio pretio didicimus non esse rursus in tantis occasionibus torpescendum. Pugnandum est aut nũc cum dimidiato hoste, aut mox cum integro. Quod si Cæsar ijsdem malis laboraret, quibus Solymannus, insanus esset, qui uel mentionem de hoc bello faceret. Nũc quũ Cæsari omnia tuta, omnia certa, omnia firma sunt, qui hoc bellum non suadet, aut non intelligit quid Turcis metuẽdum, si belletur, aut quid mox Christianis patiendum, si non belletur. Regna Cæsaris hæreditaria sunt, & quicquid armis possidet, legibus etiã tueri potest, nullas ciuitates diuersę religionis incolis permixtas habet, seruos maior pars Christiani orbis ignorat, tãtum abest ut quicq; mali ex eorum perfidia nasci possit, quodq; maxima momenta habet, ta-

lem

kẽ se Cęsar tũ in pace, tũ in bellis gessit, ut ob uictorias clarus, ob animi clementiã amabilis sit. Deinde odijs quæ ex bello nasci solẽt, ea remedia apposuit, ut de inimicitia nihil, de magna cõcordia omnia sperãda sint. Pugnauit cũ Italis, sed qbus à uictoria sua bona restituta sint. Ita dux Mediolanensis è uinculis in suũ Ducatũ redijt. Pontifex unà cũ Roma captus, citra (quod Græci dicunt) ἄποινα, suæ dignitati restitutus est. Omnem Galliæ nobilitatem è captiuitate ad suas sedes remisit. Regem ex hoste sororis suæ maritum fecit. Tot nodis amicitiæ, affinitatis, beneficentiæ Christianã rem deuinxit, ut pręter hostem foris nihil illi sit timendũ, atq; id ita esse omnes Christianæ gentes docuerũt. Quis enim, Cęsare apud Turcas belligerante illius regna tentauit? Inconcussa pax ab omnibus seruata, quo Cæsari otia ad externa bella suppeterẽt. Vtinam in Viennensi uictoria, tum persuasum fuisset, quod nunc liquidissime constat,

ſtat, neminem Chriſtianorum bellis ad=
uerſus Turcas obſiſtere uelle: ſed abſint
quærimoniæ, cumulatum eſt noua ui=
ctoria Tunenſi, ſi quid tum ceſſatum eſt.
Suſpitiones quæ tum fecere, quo minus
trepidæ Turcarum fugæ inſtaretur, quo
minus cum uictoria in Thraciã uſq; pe=
netratum ſit, nũc omnino extinctæ ſunt.
Cupiunt omnes illũ Turcas uincere, qui
nunquam in ſuis de Chriſtiana gente ui
ctorijs ſignum lætitiæ edidit. Terribilis,
ut uolunt, Solymannus, quia Rhodum
cepit, quia Ludouicum uicit, quia Hun=
gariam peruaſtauit, ſed hunc tantopere
terribilem iam Cæſar bis uicit. Rediga=
mus ad calculũ utriuſq; uictorias: Rho=
dum Solymannus potius longa obſidio
ne fatigauit, quàm uicit, quod ſi ulla ſub=
ſidia miſſa fuiſſent, nunquam illa deditio
Rhodiorum ſubſecuta fuiſſet. Vicit ſed
in deſerta cauſa. Occidit Ludouicũ, ſed
exigua manu aduerſus ſeptingẽta milia
pugnantem, ſed uictoria incautum, ſed
in

in tonitrua bombardarum incidentē, ac tum demum uictum, ubi hostem cominus habere non potuit, quē conserta manu usq; ad castra profligauerat, non degenerans à maioribus suis Iohāne Hunniade & Mathia rege Hungarorū, Turcarum cladibus præcipue claris. Cæsar cum inuictissimis gentibus, paribus copijs, aperto marte, sine ulla clade perpetuus uictor. Quid habet Turca quod cū pugna Papiēsi, cum deuicta Italia, cum Roma capta conferri possit? Vtcunque magnus est, Cæsare certe minor erit, cui omnes suas uictorias inclinauit, & ut ex Hectore uicto, Achillis fortitudo cognoscitur, ita ex uicto Solymanno, magnitudo Cæsaris intelligitur. Sit ergo si ita uelimus, Solymannus alijs terribilis, Cæsar Solymanno terribilis erit. Credo cœlestis numinis dispensatione factum, ut Cæsaris arma prius inter inuictissimas Christiani orbis gentes exercitarentur, quàm cum Turca confligeret, ut disceret quàm

exiguo

exiguo negotio Syros, Phrygas, Lydos uincere posset, qui ex ualidissimis gentibus tot uictorias reportauit. Ita Iacob prius cũ angelo colluctatus est, quo cognosceret, quàm parũ sibi antagonistæ angelorũ Esau hominis uires formidolosæ esse deberet. Collisa sunt inter se Christiana regna magis acri, quàm exitiali bello. Nulla gens afflicta, nullę præclaræ urbes excisæ, mutuis inter se pugnis, quasi in ludo gladiatorio omnem artem, audaciam, usum bellandi didicere. Trahet Cęsar ad bellum non ignauum militem, sed fortissimum, nõ tyronem, sed perpetuis uictorijs assuetũ. Quid enim Gallorum equitatu terribilius? quid Hispano pedite acrius? quid Germanorũ pectore fortius? quid Hungaro Turcarũ cędis appetẽtius? quid ei generi belli assuetius? quid Italis ingenijs callidius? Quid Genuensibus triremibus instructius? quid in rebus maritimis Veneto potẽtius? qd ob amissas Cycladas aliasque maritimas ciuitates

in

in Pōto, in Thracia, in Illyrico ademptas Turcis infestius? Quid Bohemo robustius, quid Slesio, Morauo in Turcas iratius, ad arma promptius, quid, ut de aliarum nationum ducibus fortissimis taceamus, Antonio Leua ad omnes casus fortunæ perferendos constantius? quid Andrea ab Aurea Turcarum cladibus nobilius? quid maritimarum rerū peritius? Tali milite usus Alexander ille Magnus orbem terrarū intra triennium edomuit, cum non amplius quàm triginta duo milia peditum, quatuor equitum in castris haberet: tali milite usus Xenophon philosophus à Babylone & Susis saluus in Græciā reuersus est, quibus subnixus uiribus, non maioribus quàm decem millibus peditum, sine ullo equitatu: docuitq; totum Persarum imperium, totum oriētem, nec fraudibus, nec armis tantillas copias profligari potuisse. Talē militē quū haberet Philippus huius abauus, à Pio pontifice tanti habitus est, ut eum Mahumetho,

metho, Turcarum fortissimo non dubitaret opponere, sed ille suis bellis implicitus, Turcis obuiam ire nō potuit. Nunc autem summa pax in Christiano orbe, summū otium ad externa bella sustinenda, quæ sine dubio Pauli pōtificis sapientia perpetua fore pollicetur. is enim, ut est Christianæ reip. amantissimus, usu rerū peritissimus, & consilio, et opibus Christiana arma in Turcas fouebit, & pacem inter ipsos omni cura tuebitur. Quā non leue momentum ad bellum adferat pontificis potentia, satis declaratum est ex decem illis equitum milibus, quos Clemēs III. in Viennensi bello ad subsidia Christianorum armauit. Quanquam si pax non esset, adhuc tamen arma in Turcas arripienda existimarem. Quum enim Godefridus ille Builonius cum reliquis Gallorum ducibus expeditionem in Turcas sumebat, Papa cū antipapa, Cęsar cum Cæsare bellum gerebat: (Habuit enim id tempus duos pontifices, duos Cæsares) O æque

æque tamen illa expeditio suscepta est, æque in bello perseueratum, quodq; miseris, Flandriæ Comes Robertus, quum Cæsaris armis infestaretur, nõ tamẽ omisit profectionẽ in Turcas. Si quæras quis tum Christianorũ regnorum status erat? dicam paucis. Sicilia aliqua ex parte, Hispania fermè tota Sarracenorũ armis tenebatr̃, in Italia Sarraceni Nuceriã possidebant, quæ etiã nunc ob inueteratum illic Sarracenicũ dominatum, Nuceria Sarracenorũ dicitur, eoq; scelerum deuentũ erat, ut Christiani principes sua inter se bella Sarraceno milite conficerẽt. Quid potest importunius fingi ad externa bella capescenda, quid impeditius ad sustinenda? Ea tamen Christianorum armorum expeditio tam fœliciter cessit, ut nihil unq; fœlicius. Auspicijs Siculi Boẽmũdi, Godefridi Bulionij, Hugonis Magni, Roberti Flandri, reliquorumq; Ducum, tota Asia edomita est: Hierusalem capta, arma usq; ad Arabiã & Aegyptũ promota

promota. His uiris Cæsar successit, Sicilia illius est, Flandria illius est, quicquid illi domitores Asiæ possidebant, non minima ex parte in Cæsaris hæreditatẽ concessit, ut & ditionum & uirtutũ illorum heroũ successor esset. Circumagat oculos suos per uniuersum mũdum, semper incurret in monumẽta suorum. Si Flandriam respicit, Robertus illi in oculis est, tot Turcarum cladibus nobilis: si Nauerram, in Caroli Magni trophæa incidit: si Granatum, aui materni uictorias cõtuetur: si Siciliam, Boẽmundus sese offert, ex duce Antiocheni regni possessor effectus. At qualis regni? eius nimirũ quod sub se habet centũ sexaginta episcopos, trecentas sexaginta ecclesias, mansitq; illi & hæredibus illius hæc possessio plus minus ad ducentos annos incolumis. Si ad Viennã suos oculos dirigat Cæsar, suos triumphos uidet: si ad Aphricam, Tunẽse regnum suis titulis adiectum contemplatur. Non sinunt illum nec sui cultus

hoc bellum omittere. Si coronam intuetur, uidet eam duobus imperijs detractis mutilã: si aureũ uellus in pectus propendẽs, in memoriã ueniunt Colchi & Pontica regna: si orbẽ quem in manu gestat, quid à suo imperio alienatũ sit intelligit: si titulũ terrae sanctae, quã inter sua regna adnumerat, animo recolit, uidet quid sibi, quid Christo detractũ sit. Cupit Hispania sexcentorũ annorũ clades, quibus à Sarracenis uexata est, hosti reponere, cupit primùm ex Hispano genere Caesarẽ, uere Cęsarẽ esse, hoc est, imperio reddere quicqd illi à Turcis auulsum est. Memor est Pontũ quondam à se possessam, ibiq́; adhuc superesse Iberiã sui nominis gentẽ. Cupiunt Galli felicem sub Godefrido expeditionẽ repetere, nec in obliuionem abijt Gallogręcia, quondã ab ipsis in media Asia cõstituta: Cupit Italus ueterem Romanorũ gloriã renouare: Cupit Germanus inuictas suas uires in Turcas experiri: Cupit Hungarus hostili sanguine

suas

ſuas manus cruētare, ſpirat adhuc uete-res animos, habet pectus & fortitudine ſolita & nunc etiā ob acceptas clades ira plenū: Cupit Morauus, Sleſus, nullis deli tijs mollita corporis robora in Turcarū prælijs experiri: Cupit Bohemus ſolus inter Germanicas gētes incola colonias in Turcicas ditiones emittere: Cupit for tuna ꝑpetuo Cæſari addicta, ſua benefi-cia nō repudiari: Cupiūt tot opportunita tes, ne negligāt: Cupiūt tot milia Chriſtia norū apud Turcas in carceribus, in pœ-nis agētia, in libertatē reſtitui. Optāt has lachrymabiles uoces, & ad Dei, et ad Cę ſaris aures pertingere: Deus uenerūt gen tes in hęreditatē tuā, polluerūt templū ſan ctū tuū, poſuerunt Hieruſalē pomorū cu ſtodiā, poſuerūt morticina ſeruorū tuo-rū eſcas uolatilibus cœli, carnes ſanctorū tuorum beſtijs terræ. Cupit ipſa mater eccleſia tot quodā fideles prouincias ſibi reſtitui: cupit habere liberū aditū ad prę-ſepe Domini: Cupit in caluariæ monte

sponsi sui crucē liberis lachrymis irrigare. Habet in manibus Canticum Delboræ: Cupit in aures Cæsaris & Christiani populi bellū in Turcas arripiētis occinere. Qui sponte offertis de Israël animas uestras ad periculū, benedicie Domino. Noua bella elegit Dominus, et portas hostiū ipse subuertit. cor meū diligit, principes Israël, qui propria uoluntate offertis uos discrimini, benedicite Domino. Liberet igitur Cæsar orbē à seruitute, Christianā religionē à Mahumethica impietate, sua regna ab hostiū incursu, uindicet fratris iniurias, uindicet sororis charissimo marito uiduatæ, uindicet suas, uindicet Christi. Habet ubiq; pacē, habet hostē alijs bellis implicitū, habet hostē bis à se uictū, habet militē perpetuis uictorijs assuetū, habet aurū ex antipodū insulis, habet duces optimos, habet in Tunēsi rege auxiliares sibi Turcas, habet hostē ipsi Deo hostē, habet fortunā ꝑpetuo fauentem ecclesiæ preces, omniū uota, Deum auxiliatorem. Dixi.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS

DE CONDITIONE VITAE Christianorum ſub Turca.

EST inter Chriſtianos homines odiorum atq; inimicitiarum tanta acerbitas, & tã cæca rabies, ut ea multi mortales perciti atq; acti præcipites, nihil dubitẽt in ſe ac alios peſſimè cõſulere, & in eas uoragines ſe ac ſuos omneis, uel uotis ac deſyderijs, uel etiam quatenus poſſint re ac opera conijcere, unde nunquã deinceps emergant. Optant alij non unius aut alterius hominis cædem atque interitum, nec inimicitias inimicis concludunt, ſed populorum, ciuitatum, nationum, gentium cladem læti ac libentes ſpectarent. Alij nouationibus rerum ſtudent, & cuperent non ſolum princi-

pem mutatum, ſed Turcã, aut impium aliquem regem, & à noſtra pietate non tantum uita & actionibus, ſed nomine quoq; ac profeſſione abhorrentem. Ad quantam impiam ac nefariam animi libidinẽ uarij uarijs de cauſis rapiũtur. Sunt qui hoc cupiant, quod ſub Chriſtiano principe (Chriſtianos hic de nomine ac profeſſione nuncupo) ſub tali ergo rege durã uitã et intolerabilẽ tranſigunt, preſſi uel à rege ipſo, uel ab ijs, quibus Rex publicas adminiſtrationes concredit ac commendat, uel ab hoſtibus, quos ille in ſe laceſſiuit, quum illis à finibus ditionis ſuæ arcendis par non eſſet. In quo utriq; & princeps & ſubditi non mediocre flagitium admittunt. Ille quidem, qui muneri ſuo non ſatisfacit, & patrem profeſſus, hoſtem præſtat cauſamq; eiuſmodi querelis præbet. Chriſtianus uerò priuatus etiam culpandus, qui ita rerum uitæ huius cura & cogitatione à curſu cœleſtium reuocatur: ut ſuam & aliorũ quietem

tē interturbet, unus est finis, quò omnes tendimus, nempe felicitas illa sempiterna, una uia, quà ingrediendum, uera pietas, quantulum refert, modo ab hac uia non depellâre, quid extra illam fiat? quid prauus aliorū atq; incitatus animorum tumultuetur impetus? Quàm parui refert Christiani hominis tam exiguum atque incertum uitæ curriculum, sub quo principe decurrat, decurrat modò, ut metam possit pertingere, quò cōtendit. Viatores uidemus paulò prudētiores ac moderatiores uiæ omnes molestias, & uisu ac perpessu indignissima, siue in diuersorijs, siue in uia ipsa tacitos præterire ac deuorare, in id modò spectantes ac intentos, quò profectionem destinarunt, cultu modico ac interdum sordido, splendore illo atque illa dignitate deposita, qua sunt in patria, ferunt excludi se, extrudi, non haberi honestissimis hominibus honorē, tractari se ut famulos, illam aduersum se exerceri petulantiam, cuius sunt

ipsi domi coërcitores ac punitores. Quid eos qui in aliena regione negociantur, si quid illis uel à priuatis grauius, uel à principe existat, uel etiã à solo aut cœlo, quomodo aspicimus concoquere ac pati, & quasi in statione perdurare, ne lucri spes abrumpatur. Quæ Germanię frigora tolerant Itali & Hispani, atque adeò Bethyci mercatores? quos Aegypti aut Africæ ardores Galli & Germani? quæ tributa, indictiones, duritatem oris uerba atque etiam interdum uerbera contumeliosissima? omnia mollit ac condulcorat spes rei augendæ. Quid milites perferunt in castris ob uilem stipem? quid athletæ ob uictoriam? quantum uenatores propter feram occidendam? Tam ualide spes aliqua animum omnem à præsentium rerũ cogitatione ac sensu ad se auocat. At uerò, quod nos ita in cura pręsentium rerum immoramur, an non apertè declaramus non ita animum nostrum spe aliqua duci præmij, ut illorũ? alioqui quan-

tò minus, quàm illi, de quibus dixi, hæc præsentia sentiremus, occupati atq; intenti in eam uitam, quæ immortalis est post hanc mortalem futura. Idcircò sancti apostoli, quum uiderent non debere Christianum suum cura rerum uitæ huius intricari: obedire nos rectoribus ac præfectis nostris iusserunt, non solũ commodis & mitibus, sed asperis quoque & difficilibus, nec parêre nos tantũ uolunt, sed & pro illis orare cœlestem nostrũ patrem, ut sapienter populum regant, cuius administrationi præsint. Id quum disertis uerbis præcipiunt, tum ipsi ac martyres, deinde omnes prestiterunt. Cypriano Cecilio, quum esset, tanquàm crimen obiectum à præfecto, quod in Cæsarem coniurasset, respondit, longissimè absumus nos Christiani ab ista culpa, qui Cesari, etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen quia princeps est noster, bene & cupimus, & precamur, et rogamus Deũ nostrum, ut mentem illius ad cogitatio-

nem

nem uerorum bonorum adducat. Nam quid potest tamen principes eripere, quò non maius sit, quod odium, quod res turbatæ, & auocatio à religione eripiat, ac tollat? siue bona inter se diuersorum generum conferantur, fortuita cum corporeis, aut animorum, siue etiam generis eiusdem. Alij speciem sibi quandam confinxerunt stultam libertatis, ne nominatam quidem in uetustis Romanorum ac Græcorum monumētis, nedum expressam, ut cuiq; impunè liceat, quantum libeat; quod quum sub Christiano consequuturos se desperent, ideo uel Turcam mallent: quasi is benignior sit in largienda libertate hac, q̃ Christianus. Quid tu dicis? sita uerò est in hoc libertas, quod nihil ad publicum bonum ærario ciuitatis pendeas, uel principis fisco? quod penitus sublata sint uectigalia? magistratus uel nulli, uel autoritate debilitata prorsum et imminuta, ut à priuato non differant? quod impunè liceat cuiuis malefa-

cere

cere: ubi uisa est libertas hæc: quando audita: quis populus, quæ Respub. uel pūctum posset temporis in tali libertate consistere: an non si omnia omnibus licerēt, breui fieret, ut nemini liceret quicꝙ, & pro principe uno excluso, sexcenti nascerētur postridie: nec esset ullus, qui se non in illius reponi ac collocari sedem ui, armis, cæde omnium peteret ac contenderet: Cedo, quod tandem tempus uolunt uel Athenis signare, uel Spartæ, uel Romę, in quo maxima uiguerit libertas: nullum inuenietur tam solutū ac liberum, in quo non magistratus, leges, forum, iudicia, pœnæ, præmia ualuerint, in quo non uectigalia fuerint: trāseo, quum non solum æs uel argentum, uel aurū rei erat publicæ impendendū, sed sanguis quoꝙ ac uita uolenti nolenti, quod cōtingit uel sub florentissima libertate, contrà potius ea existimatur libertas summa, legibus ac legitimis magistratibus quietè obtemperare, & bonos se ac moderatos præbere

re ciues, uoci legum aut magistratuum præsto esse, & imperijs, promptè ac alacriter parere, imò uerò hæc una est, libertas uera, ut uelis bene uiuere, hoc est animi uitijs uacare, et impotētissimis tyrannis animi motibus ac cupiditatibus non seruire, quæ sola est seruitus, ut nec reges ipsi dici possint liberi, quamdiu his obsequūtur. Proxima est libertas, quę ex priore illa deriuatur ac deducitur, quietè et pacatè legibus ac magistratibus tanquam publicis parentibus obedire, qui, sicut est in mimo, amandi sunt, si boni, sin aliter, ferēdi. Nam malè, & per alienam iniuriam uiuere, libertas non est, sed effusissima atq; effrenis quiduis agēdi licentia, & flagitiorum ac scelerum impunitas. Quidam se non putant satis liberos, nisi quiduis in quemuis liceat, sublatis legibus, summoto metu pœnarum omni, et reuerētia magistratuum. Alijs ob oculos uana quædam obuersatur imago libertatis, quæ animos imprudentes in errorem

errorem adducit, quæque non solũ cum chartis exoleuit ac computruit, sed nulla potius ullo fuit tempore, ullo in populo, nec ipsi qualis sit, satis scirent explicare, etiã si maximè uellent ac conarentur, tantum se libertatem clamant cupere. Euoluant uerò, legant rerum ueterum monumenta omnia, inuenient nulla esse nunc tam dura, aspera, difficilia tempora, quibus non peiora atque intolerabiliora fuerint Romæ non modò sub Cæsaribus, quorũ uix unus atque alter non importunissima fuit bellua, sed sub ipsis consulibus. An huc adducam ciuiliũ bellorũ nomina, Antonios, Octauios, Brutos, Cassios, Dolabellas, Hircios, Pansas, Cæsares, Pompeios, Marios, Syllas? adde his Gracchos, Fuluios, Carbones, Saturninos, Glaucias & aliam turbulentorum ciuiũ manũ? Quid? iuuabat ne aliquem illis tẽporibus Romæ uiuere, aut omninò natũ esse? ut moruorũ consolationes inde peterentur, quod tã miseris esse absumptos

sumptos temporibus felicitatis & maximi cuiusdam beneficij loco deberet deputari. Sic Sulpitius cõsolatur Ciceronem, sic Cicero mortem L. Crassi, & Q. Hortensij oratorum, sic Cato habitus est felicissimus, quod eo modo è uita exisset, atque eo tempore. Si quis superiores ætates memoria repetat, inueniet pauperem populum exiguum pependisse uectigal, sed ex facultatibus exiguis ac prope nullis, stetisse tamen in acie noctes ac dies armatum, ferentem labores ac pericula militiæ, quum stipẽdium numeraretur malignissimum, diu nullum, ita ut mergentibus se in sortem usuris, corpore & sanguine crudeli esset fœneratori satisfaciendum. Denique non opus est ambagibus, quid fuit aliud Romana respublica, nisi tacitum quoddam regnum nobilitatis in plebẽ? An Athenas libet inspicere? non placebunt, nihil fieri potest turbulentius illo populo, nihil leuius, nihil ingratius, ut nulli essent infelliciores, quàm qui uel

aliquid

aliquid ad cõmunes et publicas utilitates cõtulissent, uel qui insigni uirtute aliqua & laude præstarent. An placebit Sparta, etiam gentilibus sapientibus improbata? ut Platoni & Aristoteli, consensus quidam ad bellum, & duram inhumanitatem. Quæ est ergo libertas hæc, quam ipsi nec optãdo & cogitationibus talem possent fingere, ut ciuitates, et hominum cœtus ac cõmunio cõstare cum illa posset ac perseuerare? Sunt, qui quorundam principum aut nationũ odio malint Turcæ & cuicũq; principi barbarissimo subijci, q̃ illis, ut Italorum quidam, quorum Gallum alij, Germanum alij, alij Hispanum tam insensè oderunt, ut malint centies mori, & quod morte est peius, indignissima & nefaria cuiusuis imperata facere, q̃ sub illis uiuere. Si meminerunt cladium Italiæ, res quidem est acerba, & profectò deflenda. Sed an non plures atque atrociores ipsi olim toti humano generi intulerunt? ignorant has esse rerum

humanarum uices, ut uictor uincatur, & patiatur inuitus ac gemens, quæ aliquando fecerat lætus ac exultans? Roma est capta & expilata, graue sanè & odiosum bonis omnibus, quis enim uellet id factum? ne ipse quidem Princeps, cuius auspicio res putatur gesta. Sed reducat Roma in mentem ac recordationē, quot ipsa urbes ceperit, expilarit, incenderit, diruerit, solo æquarit, nō modò tecta & populum, sed uestigia quoq; deleuerit ciuitatum uetustissimarum. Quid idem ipsi Itali? quomodo matrem suā Italiam tractarunt? an humanius & mitius, q̃ exteræ istæ nationes? an uetera nomina iterum cūmemorem, Marios, Syllas & huiusmodi? nūc in istis ipsis cladibus, quarum memoria recentissima est, & sensus adhuc urit, an nō sæuiora multò ipsi designarunt Itali in Italiam, q̃ Germanus aut Hispanus aut Gallus? At oderūt gētem, cuius sentiunt incommoda, putantne talem se eam gentem in amicos & iunctos,

ctos, uel ditione, uel fœdere prębituram, qualem in hostes armatos, aut hostiũ ciuitates atq; agros: aliam sentiẽt amicam, q; inimicam, non tales experiuntur Neapolitani Hispanos, quales Insubres. Neapoli statur legibus, habent ciues cum peregrinis, cum militibus idem forum, eundem iudicem, omnibus ex æquo ius dicitur, secundum leges & iura, inter hostes nulla putatur legum communio, licere in eos credunt, quicquid lubeat. Principem uerò non posse pati extraneũ, nimis est delicatũ, ne dicã insolens, quum & olim mundus tam diu passus sit Romanos magistratus, & in una quaq; natione scimus res collapsas & propé perditas exteri principis cura esse, ac prouidentia erectas ac restitutas, in Hispania, in Germania, Britannia, Gallia, in ipsa eadem Italia. Atqui ab extero tantopere abhorrent, cur ipsi accersunt non futuri mox accito pares: etsi Hispanum, uel Germanum, uel Gallum sic fastidiunt et

oderunt, cur Turcam & Scytham extremæ feritatis ac barbariei non abominantur, differentibus, diuersis, contrarijs moribus, lingua, cõmercio, religione? Non desunt, qui Christiani dicũtur, non amore pietatis, aut etiam professione uitæ, sed tãtum uelut quodam cognomine, quod nati sint inter Christianos, haud aliter, quam dicerẽtur uel Romani, uel Carthaginenses, uel Scipiones, tam facilè, tam libenter, cuiuscunque superstitionis, & impij Deorum cultus futuri, quam sanctæ religionis nostræ. Ad istos tam deploratos, seu uerius deplorãdos, longè esset repetẽda oratio, ut qui ad humanũ essent sensum mentemque reuocãdi, à qua tam longè recedit quisque, quàm à religione, sine qua, si quis acutè rem expendat, non est homo, homo, sed bellua. Itaque multò alia his opus esset oratio, seu pharmacũ uerius. Nam quemadmodũ Circe illa pharmacum habebat, quod humanę faciei ac naturæ redderet, quos ipsa eadem pharmaco

co alio ex hominibus bestias fecerat: ita malicia hominem in belluã mutauit, con uertit rursum in homines ratio ac religio. Non intelligunt insani isti, si hic humana omnia cõsumantur, nihil penitus inter hominem interfuturũ & bestiam, nisi quod bestia simplicius cõformius' que ad naturam uiuit, hoc est, felicius, homo uerò maiore malicia, ac proinde rerũ cura obruitur ac premitur, id est, miseria perenni. Quæso nũ etiam si optio daretur, eam eligerent conditionẽ uitæ, ut omnia cum corporibus interirent? Sed hæc opinio, quæ non solum animæ uitam eripit, & eam, sicut Cicero insectatur, tanquàm capitis damnatam morte multat, uerum etiam religionem extinguit, & deum de cœlis ac mundo detrahit, maioribus est à me aliquando uiribus aggredienda, & quod de Christi auxilio spero ac cõfido, penitus extirpanda. Interea autẽ omnes, quibuscunq; aliquid in animo restat honesti ac boni respectus attẽdant. Quum

adhuc ferueret sanguis Christi, & firma esset cōstansq́ Christianorū hominum fides, & proinde religio pura atq; incorrupta, nihil erat utilius Ecclesiæ, quàm agere sub principe impio, à pietate nostra sententia abhorrente professione hoste. Nam in fide tam solida, & tam altè radicibus immissis, non erat periculum, ne quis ullo metu perterrefactus, aut uoluptate delinitus, aut spe illectus nutaret, uincebat omnia, superabat, prosternebat, conculcabat ualidissimus cunctorū adfectuū amor, nec aliter minas, terrores, uerbera, tormēta, cruciatus, mortē, fides charitate fulta atq; adiuta excipiebat, q̄ marinos fluctus, & tempestatum impactus scopulus aliquis uetustus, rupis durissimæ. ut ita infigi ac confirmari fides uideretur, quemadmodum stipes aut saxū festuca percussum. Ergo altius acta sunt per martyrium fidei nostræ fundamenta, quiq; ictus eò putabantur infigi, ut luxarent & reuellerent, hærentem ac

fixum

fixum ſtipitem altius demittebant. Nulla in terrã decidebat cruoris martyris ſtilla, ex qua non centum Chriſtiani uiderentur ſurgere, adeò erat efficax ſanctus ille cruor, qui exemplo principis & autoris ſui, pro ipſo eodem libenter fundebatur. Iam ad permouendos ſaxeos illos & ferreos homines, quàm erat illud ualidũ uidere conſtantiam profitentium, ut durum duriore frangeretur, intueri robur humano maius, planè cœleſte, & diuinitus adiutum: Philippus Voſtrenſis princeps Romanus, ad annum V. C. milleſimum, Chriſtianũ nomen magis eſt profeſſus, quàm præſtitit pietatem. Inſecuti nihilo ſecius principes idem in nomen Chriſtianum exercuerunt odium, quod ſuperiores Decius, Diocletianus, Maxẽtius & alij. Primus bona fide baptiſatus eſt Conſtantinus, fuit dies ille, neſcio an tam eccleſię proſper, quàm multis forſan uideri poſſet. Certè D. Hieronymus in uita Malchi Monachi, non perinde uidetur

tur esse illo facto lętus. Cessauit enim martyrium, id est, fidei coticula, accensio charitatis, fundamentum ac robur totius religionis, securitas illa peperit negligentiam & obliuionem maximarum uirtutum, non minus, quam longa & certa pax ociosis militibus desidiã, atque ignauiam, paratior erat quisque in præsenti, aut certè impendenti periculo, quam nũc sumus metu sublato. Nam etiamnum in tam alta hac securitate adituri pericula aliqua, uel naturæ, uel casuũ: ut intraturi mare, aut prælium, aut euidens aliud capitis & uitæ discrimẽ, sanctius nos gerimus, & paramus nos diligentius diuini iudicis examini, quàm quum lauti accumbimus frequenti & læto cõuiuio. Ingressus est princeps ecclesiã, non ut uerus ac planè Christianus, quod fuisset sanè felicissimum & optandum, sed inuexit secum nobilitatem, honores, arma, insignia, triũphos, supercilia, fastum, superbiam, id est, uenit in Christi domum comitatus diabolo, &

quod

quod fieri nullo modo poterat, uoluit duas domos aut duas ciuitates coniungere, Dei et diaboli, quod nõ magis potuisset efficere, q̃ Romam & Constantinopolim: quæ tanto & terrarum & maris tractu separãtur. Quæ communio Christi ad Belial: inquit Paulus. Refrixit paulatim ardor, nutauit fides, degenerauit tota pietas, cuius nũc umbra atq; imaginibus utimur, easq;, ut ille dicit utinã retineremus. Sed quemadmodum dies ille Constantini tristis pietati fuit & dolendus: ita ille acerbissimus, nefastus, aterrimus illucebit, quisquis nũc his moribus & hac uitę ratione populum aliquẽ Christianum ditioni subdet, uel Turcæ, uel Principis cuiuscũque à pietate nostra nomine alieni, ac professione, imò uerò nõ illucebit, sed perpetuas tenebras, & noctem inferet. Vos qui immunitates, qui libertatis nomina tanti facitis, reputare decet uos omnes Turcæ, non alio futuros loco, quàm pecudes, quas ad utilita-

Q tes

tes modò & fructus suos alit, non ad participatum ullum commodorum, honorum, non deniq; earum rerum, quæ communes sunt ciuibus inter se: quũ illi non simus futuri, nec ciuium numero, ac ne hominum quidem. Non pateretur nos augere opibus, potentia crescere, uigere honoribus, pollere dignitate incrementa nostra omnia haberet suspecta, inimicus nobis lege, inimicus professione, inimicus odio, & suo et auito, nec ulla se nobiscũ crederet deuinctum lege, nullo iure, non fœdere, non communione, non humanitate et natura ipsa omnibus communi. Quicquid ipsi liberet, existimaret licere oportere, & iure uictoriæ, & quod non censeret ullas esse leges, ullum iusiurãdum, ullam fidem, qua soluti affectus possent alligari, aut uehementia impetus retardari ac impediri, nam qua fide uictoriam exequatur, testes sunt Rhodiani milites, qui nisi se maturè subduxissent, crudelissimo illos dolo statuerat omnes intercipere.

intercipere. Sed nec ad ipsos suos populares, & eisdē initiatos sacris meliore utitur fide, uicto & capto Sulthano Mamelucos paratos se defendere, quū in fidem accepisset, uniuersos contrucidauit: id quū ausus sit non sine aliquo populi sui sensu, quid eum facturum in nos censemus, secundo suo populo & applaudente? Quòd si ipsi eidem mitius aliquē nostrum aut honorificentius placeret accipere, aut uix liceret ei inuidia suorū, aut nobis acerbissimus esset is honor, tanta inuidia infectus ac contaminatus. Nam quocunque aliquis nostrum receptus esset loco, ab eo se exclusum eiectūque uir Turca interpretatur. Cui non dico Principi, aut Bassano, sed Genuisaro, uel satelliti, uel gregario militi non liceret, quicquid esset collibitum in nos, in liberos, in uxores, in fortunas nostras? quid ni? nempe hominibus in canes illorū opinione. Vtinam huius rei non tam acerbum haberet Christianus orbis exemplum, & hæc

potius coniecturis à nobis fingerentur, quàm tristibus adeò experimentis. An ulla gẽs, aut ullus omnino hominum tam extremam est seruitutis aliquando conditionem passus, quàm nunc patitur inclyta illa & ingenijs, & literis, & armis Græcia? quod mancipium miserius seruit, quàm illa Græcia: quę olim pro solo libertatis nomine tantum effudit sanguinis, tantũ armauit militum, qui ad certissimam atque indubitatam mortem ire non dubitarent pro libertate? ut nunc nullus in tanta regione nascatur ingenio paulò liberiore, aut impatienti seruitutis, qui nõ primùm omnium Gręciam sibi relinquendam & fugiendam ducat, uelut ergastulum ultimæ seruitutis: in Italiam se aut in alias orbis partes cõferat, magnũ secum quocunque eat, circumgerens documentum, quid patiendum sit uiuentibus sub Turca. Hæccine ferrent uiri fortes, armati bellatores, & iactatores libertatis? hæc parati sunt perpeti, qui pati non possunt in-

dictionem

dictionem aliquam extraordinariā Christiani principis, aut syluā, uel aquulam, uel piscem, uel leporem ex publico priuatum fieri? O quàm cæcis oculis ista intuemur? & dū præsenti cupiditati seruimus, nihil cūctamur in apertos malorum gurgites nos immergere. Tu ergò, ut lenticulam aut intertriginem sanes, hauris uenenum, & quia parū acutè cernis, utrumque tibi lumen extinguis. Quid porrò principes? an putāt uerò, si sub illius ditionem ac potentiam uenerint, etiam si initio sedulò dissimulet, & amicorum eos ac sociorū nomine dignetur, non eum tamen paulò mox ut inualuerit, & uires confirmarit, ad morem suum patrium redituꝛum, ut nemo pedem unum terræ possideat, quem possit suum dicere, omnes serui ac mancipia illius & sint & nominentur, & cuicunque impurissimo carnifici ab eo misso præbēda sit ceruix, sine ulla detrectatione aut cūctatione, si Dominus iubeat? ubi tum erunt feroces isti ac tene-

ri, qui ne uerbulum quidem affinis aut propinqui possunt perferre? Erit hæc dura quidem, sed tamen iusta Dei ultio, ut qui Christianum parem, & fratrem suum non tulerit, extremæ conditionis seruitutem, sub crudelissimo domino seruiat. Dicent hic mihi nonnulli ex his, qui sanctitatis opinionem affectant, honores, opes, decus, dignitas, uitæ conditio, carnalia sunt omnia, ualeãt, Christianis non curanda, ualeant sanè per me, atque utinam iampridem iussissemus hęc ualere, quæ si non tantoperè in nobis inualuissent, ac insedissent, nemo inter nos de Turca loqueretur, sed agedum excutiamus spiritalia. Erit ne adeò spiritalis quisquam nostrum, tam obfirmo atque obdurato animo, ad sensum rerum omnium uitæ huius, qui perpeti ac tolerare possit, quod est Græco quotidie deuorandum? obijci nobis, ut crimen atque ignominiam nomen hoc Christiani, quo tantoperè iure gloriamur? Poterit audire tot plasphemias,

mias, tot maledicta, tot conuicia nominis Christi, & Dei omnipotentis? Quòd si quis inter illos, uel uerbum unum per imprudentiam cõtra Mahumetem misêrit, uel uita sit ei protinus, uel religio amittenda. euestigiò enim aut moriẽdum est illi ipsi, aut ad eam ipsam sectam transeundũ cui maledixerit. An non plerisque omnibus, si hæc uiderent, animus haud aliter accẽderetur, quàm Matathiæ Maccabæo? ut occideret & Iudæum idolo sacrum facientem, & id fieri iubentem gentilem. Quid illud omnium grauissimum & acerbissimum, abduci liberos paruulos in remotissimas regiones? ut ibi abnegato Christi nomine, & tota pietate in obliuionem missa, seruiãt domino spurcissimo ac impio? quis id nostrum perferret? quis nõn mallet mori millies, quàm id uidere, uel etiam audire? Neque inter hæc audent Græci filios suos obiurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad uirtutem & studium honesti, uirga &

 flagris,

flagris, quum res poſcit, admonere diſci-
plinæ, ne illi irritati ad Turcas ſe confe-
rant, & hoc filij audent parentibus mina
ri, à quibus Turcis ſi quis ſit ſemel rece-
ptus, nulla ui, nulla ope, nulla arte poteſt
unde uenerat, redire. Et quum inter ani-
mātia omnia, ſolus homo ſcelere ſuo cor
ruptus, à natura ſua diſceſſerit, quia & à
Deo, fit, ut ſi ſibi relinquatur, nullum ani
mal efferacius euadat, nullum magis bar
barū atq; imcompoſitū, nec ulla fera bel
lua tā ſit immanibus moribus et inhuma
nis, tam belluæ ſimilis, ac homo. Quales
ergo illic adoleſcere atq; educari pueros
eſt credibile, ſolutos, effrenes in licentia
atq; impunitate uitiorum omnium, ſe-
mota diſciplina? Quæ poteſt in eiuſmo-
di animis eſſe pietas? Iam religio mirabi-
liter effloreſcit, ſtudijs adiuta ſapientiæ, et
bonorum artium, quibus eruditus atque
excultus animus, acutius recondita diui-
næ ſapientię myſteria iutuetur, nec remo
tus eſt ad diuina gradus cognitio atq; ex-
ploratio

ploratio rerum humanarũ & mundi huius, cuius notitiam corporis sensibus capimus, atq; usurpamus. Apostolus Paulus inuisibilia Dei per uisibilia cognosci ait, & primam Abrahæ cogitationẽ accessumq; ad uerum atque omnipotens numen adorandum ac colendũ ex astris illi, ex coelis, ex ordine & constantia mundi esse ortam, autor est Philo Iudæus, is qui de mundo scripsit: ut non iniuria uideatur dixisse psalmista, coelos enarrare gloriam Dei. Nec alia maior est superstitionis ac impietatis causa & occasio, q̃ ignorantia. At studia humanitatis, id est, philosophia, & reliquæ ingeniorum atq; ingenuæ artes, ut honore uelut gratissimo quodam & saluberrimo fauonio exhilaratæ flores ac fructus fundũt, ita contemptu aut etiam neglectu flaccescũt ac emarcidæ collabuntur. Græcis aut Romanis rerum potientibus, magni sunt in disciplinis omnibus progressus facti, sub Gotthis & Barbaris illis ac feris domi-

nis, ita elanguerũt, ut parum admodum abfuerit, quin uitam omnem penitus ac ſpiritum exhalarent, quàm tenues, quàm inualidas earum reliquias patrum ætas & noſtra accepit? At Turca, quàm alienus ſit ab omni cultu animi Scytha ſanguinarius, quis nõ uel fando audiuit? ſub eo quod ſit artium decus, qui uigor, uel ex Græcia diſcamus. Niſi fortè meliores nos putamus fore aut pollentiores ingenijs, magisq́; factos atq; aptos ad literas, aut natura & nutu quodã ingeniorum magis ad literarum ſtudia propẽſos Græcis: à quibus artes ac diſciplinę omnes cultusq́; & ornatus ingeniorum et natus eſt & auctus, & in cæteros omnes mortales propagatus. Si ille priſtinus, qui iã olim ardor deferbuit, adhuc in nobis duraret, fortaſſis credi poſſet pie uicturum Chriſtianum ſub Turca, ſed quum uideamus inter nos plena & florẽti eccleſia propter numum unum centies peierari nomen Domini, ubi periurio non ſolũ à diuino iudice

iudice parata est spiritalis animaduersio, sed etiam ab humano corporalis: quid futurum arbitramur, non numo uno, sed tãta mercede proposita commissi? Et qui sub Turca contra Christianos, contra patriam, contra penates, contra religionem meret ducato uno: an nõ religionẽ ipsam deseret, & se abnegare profitebitur, si is iubeat, aut se cupere significet, propter decem? Quid ij qui hic inter nos de fide sunt dubij? nũ illi non leuissimo momento impulsi deficerẽt? Nec illi ipsi, qui nũc sunt firmi ac constentes, fortassis stabilitatem illam suam perpetuò possent conseruare. Quantum putamus cõtagij ex dubijs & inconstantis fidei Dei hominibus ad sodales, ad conuictores, ad familiares, & eos, quibus cum uersantur, & colloquuntur, affricari ac hærere? non minus atque ex putri aliqua ac fœda scabie, cui non inijceret scrupulos illa tam frequens dubitatio, inquisitio, examinatio, altercatio, præsertim accedente in partes diaboli

boli ueteratoria astutia & fraudibus? Nã si in rebus quæ corporeis sensibus expositæ sunt magis, atq; obuiæ, quã ea in quibus sita est fides pietatis, humana cauillatio aliquid semper inuenit, quod conuellat, quod luxet, & præstigiæ sensibus nostris fiunt, ut ueritas sæpe obscuretur, ac cogatur latêre, non id quidem rerum uitio, aut magnitudine luminis nostrorũ ingeniorum, sed tenebris atq; hebetudine mentis nostræ, ut meritò ille dixerit: Nimiũ altercãdo ueritas amittitur. Quid futurum est in religione, in ea, quæ sensum omnem humanum excedit, quæ est substantia rerum spectandarũ, argumentum non apparentium? Fortior quidem Deus diabolo, & omniũ ueritas fortissima, sed nos quia à Deo ad diabolum defecimus, quæ à partibus nostris uidentur stare, facillimè recipimus, ægre quę faciũt pro diuinis, pressi hoc carnis pondere: quæ nutu suo ad ima nos deijcit: id est, à cœlestibus ad terrena, ut magno cona-

tu

tu ſit opus, quo tam onuſti cliuum hūc aſcēdamus, quum ultrò per pronum delabamur. Adſert tempus ipſum ueritati ſplendorem ac lucem, & ipſa ueritas poſteaquam diu latuit, emergit tandem: fateor, ſed intereà, dum tempus cunctatur, dū illa emergit, nos immergimur, ac perimus. Poſtremò, quū hic inter nos, ubi incitamur monitis, autoritate ſapiētum exemplis bonorū deterremur ab impietate, ignominia, dedecore, foro, iudicijs, pœnis, nihil uel uidemus uel audimus, quod ad impietatē apertè ac palàm adhortetur, atq; impellat, aut à uirtute, probitate, pietate auertat, atq; arceat, reſpectū tamen Chriſti inter poſtrema poſuerimus. Num quid, ſi inuerſa ſit uitæ & rerum ratio, non potiora erunt nobis, quæ iam nunc priora eſſe, quàm pietatem exiſtimamus? Quid iam ergò eſt reliquum, quod furioſi homines, perditi, deſperati, cōſecuturos ſe ſub regno Turcæ ſperēt? non opes, non honores, non dignitates,

quis

quis enim hæc canibus concedit, cuiusmodi nos illis erimus? libertas quæ esse poterit sub tali domino, imò sub talibus dominis? nobis pręcipue, quum nulla sit eius popularibus, eiusdem gentis, & hæresis? Literarũ nulla erit cura, nulla mentio, pietas in periculo. Quid restat? ut noua aliqua rerum natura condatur, cuius bonis insani isti sub Turca perfruantur? Quòd si quis adeò sit forti atque audaci animo, ut contemptis aliis rebus omnibus, pietatẽ tamen se sub impio rege conseruaturum confidat, id tamen non debet aliis optare ac procurare, de quorum constantia ac firmitate nihil habet exploratũ, sed et ipse, qui sibi nunc uidetur stare, ne se efferat animo iuxta monita D. Apostoli, sed circumspectè agat, metuẽs casum. Non est omninò committẽdum, ut tentemus, ut uelimus, ut optemus experiri, qualis illa futura sit uita, in tantam tentationem, morum ac pietatis nullo penitus modo, quantum præstari à nobis

possit,

possit, nõ debemus sinere, ut inducamur: nam & illis, quos confirmaturus, & corroboraturus erat ille spiritus, cui pares nõ sunt mundi uniuersi, & totius naturæ uires, præcepit tamen Deus uigilent, orẽt, ne inducantur in tentationẽ: incerti utrũ in ea pugna occumbent, an euadent incolumes. Quantò id est nobis omnibus magis orandũ, tãtò infirmioribus omni animorum robore ac uiribus deserti, ac destituti? Precibus est hoc contendendũ, & omni arte, ingenio, ope, uiribus connitendum: cauendumq́, ne tanta pernicies, et tam præsens malum contingat.

FINIS.

BASILEAE, PER THOMAM PLATTERVM, ANNO M. D. XXXVIII. Mense Martio.

Bibl. Miejska Uniwersytecka Staredruki w Toruniu
Ob. 6. II. 3342
ELBLASKA

Ob. 6. II. 3342 - 3345

1 fl ½